VITT. EMANUELE

14
12.H
39

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 H
39/41

Dom. prof. Rom. Soc. Iesu Cat. inscri.

949

Euerſio fal-
SORVM ARISTO
lis dogmatum, authore D.
[illegible]tino martyre, qui Helij
[illegible]ni Cæſaris tempo-
ribus, & uixit, & ad eum
pro Chriſtianis doctiſ-
ſimè ſcripſit.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

[illegible] in tenebrarum Ba-
bylonicarum diſpulſionem interprete.

PARISIIS,
[illegible]ud Sebaſtianum Niuellium ſub
[illegible] Iacobæo.

14

12-11

3

AD R. I. CH. P. ET D. D. CArolum Cardinalem Lotharingium. O. [redacted]
[redacted].

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DIuina te mouerat prouidentia Antiſtes opt. & prudentiſſ. ut primo ſtatim meo in aulam & Galliam noſtram reditu me Regi ipſi & commendare uolueris, & ut de rebus ipſis de quibus eram cum eo acturus, cum eo agere liceret, quatenus temporis paſſa eſt anguſtia, ſategeris. Licet enim tũc temporis res ipſæ ita ſint penes Regem eleuatæ, nec ita ob quorundam æmulationem receptæ ſint, ut poßint iudicari à prouidentia tunc emotæ, atque adeò ſint à quibuſdam non tantùm in inuidiam, ſed etiam in ludibrium raptæ, tamen id

unum rurſus apud te profiteri non uerebor, fore, ut ex rei illius, quam multi nihili putant, occaſione & uſu, aliquando Rex ipſe Chriſtianiſſimus in Monarchiæ uniuerſalis primariam poſſeßionem & ad imperij coronam deueniat. Ex minimis maxima fieri & poſſe & ſolere & deberi, & natura clamat unico primario ſemine in immenſum multiplicata, & Gratia, religione abiectißima in ſummã potentiã conducta, teſtatur. Qua uerò ratione id fieri poßit, ſolus ipſe princeps, qui ad concordiæ uniuerſalis rationem, animum adponere uolet, ex ore meo accipiet. In me enim eſſe hoc poſitum, ut duce ea gratia quam in me deus reſtituit, Monarchia ex Gallici populi uirib⁹ in Gallia & inde in uniuerſum inſtituatur, hoc uerò tam conſtanter etiam & te uno (cui uni ſummam prudentiam tribuo) & ſummo ſenatu præſente ſe-

riò aſſeueratum uolo, ut in me eſſe poſi tam, in eos fines cordium uniuerſi uictoriam affirmem, nil planè eius amentiæ notam ueritus, quam mihi ea de re, certius certo, ab huius Babylonici mundi ſapientibus inuſtum iri non dubito. In honore enim pono nomine illius cuius gloriam latiſsimè & ſeriò extenſum iri cupio, ſummo in probro & dedecore uitam ſi ita illi uiſum eſt, tranſigere, & honore (quæ res eſt in hac uita maximè optabilis) omnino priuari, ut latiſsimè eius gloria diffundatur. Nulla autem alia ratione fieri poteſt, ut dei gloria latiſsimè pateat, & in perpetuum duret, quàm ut opera unius & titulis & factis Chriſtianiſsimi Monarchæ curetur, ut eius uoluntas in terra ſicut in cœlo fiat. Vt autem etiam humano iudicio hoc ipſum affirmem, eſt omnino neceſſarium, ut ex ea prouincia aut uicta aut uictrice

ex Gallia uidelicet, quæ iam fere totis ſeptingentis annis non ſolùm eſt à ualidiſsimis imperij uiribus aſsiduè fere impetita, oppreſſa, concuſſa, & ſuis concuſsionibus ualidior inſtar immortalis Eccleſiæ effecta, prodeat Monarcha qui uniuerſi potiatur imperio. Huius aſſeuerationis iam multis ſcriptis à me publicè expoſitæ nomine, non timeo mihi iniuſtum iri, à cuiuſuis iudicij hominibus, leuioris iudicij, aut etiam ſi uelint, amentiæ notam, & multo minus ea cauſa, quòd me ea mente diuinitùs donatum illuſtratúmque aſſeram, (ut poſsim & iura Monarchiæ ſuſcitare & eius appendices excitare,) quam Deus opt. maximus primo homini ex parentum propagine genito præfecerat. Quum autem in hac tāta mole excitanda & emouenda, ſit mihi diuinitùs, non tantùm ut ratione æterna uerum ipſum ponam, probem, aſſeram, ut

iam abundè multis libris linguiſq; feci, pro iuris & legis æternæ baſi, propoſitum, ſed ut etiam falſum ipſum latiſsimè diſpellam, confutem, deſtruam: nullus autē ſit Reip. periculoſior aut euerſione dignior hoſtis familiari, & domeſtico, ſuſcepi in falſa Ariſtotelis dogmata bellum Iuſtini martyris & filoſofi præſtantiſsimi fretus armis, & fidei cum martyre conſimilis lorica tectus, eo quòd ut olim omnia fere hæreſeon ſemina ex uno Ariſtotele emerſere, ita hodie Atheorum cohors inde manat, etiam ea quæ ab iſto λοξία, poſſent in prouidentiæ particularis & immortalitatis probationem ex ipſo λοξία, dico, hoc eſt obliquario & uafro lubricóque Ariſtotele alioqui hominum acutiſsimo, nō incommodè trahi, peruertendo. Sum autem in hanc ueri aſſertionē & falſi deſtructionem ita animatus, ut etiam mediis in ignibus

appēdi, alioqui quid ſit ipſa mors mihi bis guſtata certißimus, hoc nomine in ſumma fœlicitate ponā. Cur autē hoc operis potißimum nunc ſuſceperim, ſunt enim & aliæ cauſæ, hoc in Apologia mea ad finē aſcripta, ubi uoles, cognoſces amplius. Tibi uerò potißimum hoc inſcribo, ut qua uales authoritate apud Regem (uales autem ſumma) nomine ipſius æquitatis, qua uidebis opus eſſe diligentia cures ut Rex ipſe de cuius corona agitur ſatagat prima quaque occaſione ut iſthæc quæ à nobis in omnium Reſtitutionem proponuntur, ſummæ quorumuis (modo non affectorum) iudicum diſcußioni committantur, ut per quæ uniuerſi cordium uictoriam aſſequetur, quum probata fuerint, Rex, aut quæ mihi ſint ſummo uitæ diſcrimine ſancienda ſi iudices improbarint. Argumenta autem ſunt iam pridem excuſa & tam ſummæ curiæ

quàm Cancellario Berthrando atque Facultati Theologorum ut diſcutiantur emiſſa. Sed res priuatorum facilè ſperni non ignoras. Quum iſthæc facies ut Regio nomine diſcutiãtur ſummo tuæ authoritatis functus fueris officio. Vale. Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Iuſtini martyris AD PAVlum *ſacerdotem, in euerſionem dogmatum falſorum Ariſtotelis præfatio.*

EX illis honeſtis laudabilibúſque ſtudiis, quæ ab hominibus in diuini cultus gratiam ſuſcipi ſolent, nullum eſt perinde gratum deo, atque iſtud, conari videlicet toto nixu, vt homines quàm optimi euadãt. Hanc igitur ſolicitudinem in te, ô venerande ſacerdos Paule, vehementer eſſe excitatam cognoſcens

tibi obſequutus ſum, vt de quibus mihi præceperas, breuem quandam decerptionem Ethnicarum Græcarúmue de Deo & creatura doctrinarum conſcribens efficerem: non vt quicquam veritatis ex iis cognoſcas, (quomodo enim fieri poſſet vt qui de iis rebus profetarum doctrinam cœlitus habet, ab ipſo videlicet naturæ parente deo?) Sed vt cognoſcas ipſos Hellenes, qui profitentur demonſtratiuam diſciplinam, ſecundũ quam de deo & natura ſcribere ſe aſſerunt, nequaquam id aſſequutos fuiſſe, ſed coniectura, id quod eſt probabile tantùm, determinaſſe. Ex illis porro hominibus qui de deo & natura tractarunt, ſunt qui ab ipſo naturę parente deo, doctrinam de ipſo deo & creatura receperunt, à profetis videlicet in hanc

rem ipſi deo cooperantibus, quos prius diuinis operibus ab ipſis effe ctis, digniſsimos quibus crederetur, oſtēdit: & inde ſic illis qui docebantur de obſcuris & nondum manifeſtis doctrinam exhibuit: Alij autem improbatis & repudiatis profetarum ſermonibus, ſuis proprijs diſceptationibus permiſere diuinæ cognitionis inuentionem. Et ſecūdum ipſos quidem qui cognouerunt ex doctrina differentiam dei & creaturę, vnus eſt deus, qui vtrouis modo ingenerabilitatis eſt ingenitus, quíque deum aut deos nec ante ſe, nec ſecum vnquam habuit, coæternum non habens, nec ſubiectum ſibi nec oppoſitum, qui incorruptibilem habet eſſentiam, & actum purum, nulla videlicet ratione impedibilem, artifex mundi totius, qui mun

dus, illius voluntatem habet pro principio, vt ſit, quid ſit, & quomodo duret aut conſiſtat. Aut enim in incorruptibilitate conſiſtunt mundi partes, vt cœlum, & cœleſtia, atque inuiſibiles ſubſtantiæ ſeu potentiæ, aut in generatione & corruptione conſiſtunt, vt animalia quæ ſunt ſuper terram, & plantæ. Et ſicut quicquid factum eſt, nunquam fuiſſet, niſi ipſo dum
» iuberet ſanciente, FIAT, ſic nunquam quicquam conſiſteret niſi ipſe decretū poſuiſſet, incorruptibilibus quidem vt conſiſterent in ſecula ſeculorum: illis autem quæ in generatione & corruptione ſunt,
» vt creſcerent & multiplicarentur,
» & replerent terram. Ad indicationem autem ipſius diuinæ potentiæ, & vt oſtenderet ſe non inſeruire legi naturæ, ſed quod propriæ

voluntatis imperio ea quæ ſibi videntur, faciat,ea quę ſunt in principio generationis & corruptionis naturæ ex terra & aqua fecit, iubens, producat terra animam viuentem ſecundum genus,& plantas habentes in ſeipſis ſemen,& arbores producentes fructum. Et rurſus,producant aquæ animam, viuentem ſecundum genus. Ea autem quæ fiūt ex generationis principiis,definiuit vt ex mutatione viciſsitudinéue ſeminum fierent.Et de iis quidē, omnes qui à deo ſunt miſsi profetæ apud omnes homines tractare perſeuerāt eodem conſenſu, nec eſt vlla inter ipſos de iis diſſonantia. At verò ſecundum illos qui profeticis refragantur verbis,quæque de deo & natura coniectura probabilitatem determinarunt: eſt quidem certè maxima

quum inter diuerſos, quũ erga ſeipſos diſſonantia, in his quæ de rebus & earum principio, & ſecundum ſubſtantiam, & numerum, & motum, & finem ſunt determinata, ſicut demonſtratur ex primo libro Ariſtotelis de Auſcultatione naturali, eo quod nihil veri dicit de illis rebus de quibus tractare in cœpit.

EX PRIMO LIBRO SERMOnéue de auditu naturali Ariſtotelis.

Semper enim eſt aliquid quod ſubiicitur, ex quo fit illud quod fit, uti plantæ & animalia ex ſemine. Fiunt autem res ſimpliciter, quædam figuræ mutatione, ut ſtatua: aliæ additione, ut quæ creſcunt: aliæ ablatione, ut ex lapide hermes ſtatuáue: aliæ compoſitione, ut do-

domus: aliæ alteratione, ut quæ mutantur conuertuntúrue ſecundum materiam. Hæc autem omnia ſic facta clarum eſt quòd ex ſubiecto fiant. Et hoc eſt duplex, aut ſuppoſitum aut oppoſitum. Dico autem opponi muſicâ priuatum, ſupponi uerò hominem.

Si primum eſt, quod ſemen ſeminat, & vltimum quod ex ſemine eſt factum: & ſunt generabilia vtraque generationi quidem ſubiecti ex ſemine facti, ſubiicitur ſemen. Eſt autem impoſsibile generationi illius quod ſeminat, ſubiici ſemen. Non igitur ſemper fiũt animalia & plantę ex ſemine. Amplius. Si eſt animal generabile vtrũque, & quod ſeminat, & quod fit ex ſemine, & non eſt vtrunque ex eodem ſubiecto, ſed eſt vnum ex ſemine, alterum non ex ſemine: quomodo non eſt falſum, quod a-

nimalia ſemper fiant ex ſemine? & de plantis eadem eſt ratio. Adhuc. Si principium eius quod eſt ex ſemine, eſt ipſum ſeminans, incognitum autem eſt hoc, & indeterminatum in tràctatione de naturali auditu Ariſtotelis, qua de cauſa eſt ſcripta ipſa tractatio, quum ignoretur primum animal & prima plã ta? Ignoratio enim eorũ quæ ſunt à principio, ſequitur ignorationem principij. Si animal quod ex ſemine fit, fit autem ſecundum naturam, manifeſtum quidem eſt, ipſo animali facto quidem, ſed non ex ſemine, non fieri ſecundum naturam. Dicant igitur Ariſtotelici ſecũdum quid fit animal, quod non ſecundum naturam fit. Amplius. Poſita differẽtia in generatione animalis, eius videlicet quę eſt ex ſemine & ſecundum naturam, & e-

ius quæ non eſt ex ſemine, nec ſecundum naturam, neceſſe eſt eſſe finitam generationem. Quomodo igitur dicunt Hellenes & animalia & plantas nunquam habuiſſe principium, veluti deus, quæ ſecũdum naturam fiunt, & quę non poſſunt eſſe contemporanea primæ plantæ aut primo animali? Amplius. Si omne id quod fit, ſemper eſt compoſitum, quomodo diſtinxiſti modum eorum quæ fiunt per compoſitionem propria modi differentia, ab aliis generationis modis? Si enim quicquid eſt generabile, eſt compoſitum, per compoſitionem fieri omnino neceſſe eſt. Sed ſi modus generationis eius quæ eſt per compoſitionem vniuerſæ quadrat generationi, ſuperfluè ab aliis modis generationis diſtinctus eſt propria differẽtia. Am

plius. Si ſubiecta prædictis generationibus ſubſtantiæ ſunt, & in ipſis conſideratur duplum ſubiecti, hoc eſt ſubiectum & oppoſitum. Atqui hyle materiáue ſubſtantia non eſt, quomodo quadrat modus generationis qui fit ex ſubſtantiis, cum modo illo generationis eorum qui non fiunt ex ſubſtantia? Neceſſe eſt itaque aut eſſentiam eſſe ipſam materiã, aut modo alio fieri ea quæ ſunt facta, præter modos prædictos generationis. Sed poſtquam in tractatione de fyſico auditu, hyle eſt de finita, quod non ſit ſubſtantia, & modus generationis, eorum quæ fiunt ex ea, non eſt traditus: quomodo non eſt ſuperflua ipſa tractatio in qua eſt manifeſtũ dubiũ? Amplius. Si vt eſt neceſſe naturæ & arti, non facere ex fortuito in-

certóue incerta, ſed ex determinatis determinata, ſic eſt neceſſe ipſi deo ex determinatis determinata, quis eſt qui hanc legem deo poſuit? Quod autem naturæ & arti deus hanc legem præfiniuit, certum eſt. Si autem deus ſub præſcriptũ non cadit, ſed facit ex quouis quiduis, non coactus neceſsitate ne faciat quæcunque vult, quomodo non eſt ſolutus, etiam imperio faciendi ex ſubiectis ſecundum neceſsitatem?

EIVSDEM ARISTOTELIS SENtentia ex eodem libro.

Eſt autem ſubiectum numero quidem unum, ſpecie autem duo. Homo *enim & aurũ & omnino ipſa hyle numerationi eſt obnoxia. Quod enim magis eſt, & non eſt ſecundum accidens, ex eo fit quod fit. Priuatio autem &*

contrarietas eſt accidens. Vnum autem ſpecies formáue ut ordo, muſica, aut quicquam aliorum eorum quæ ita prædicantur per quæ ſunt dicenda principia ut duo, & licet etiam dicere ut tria, & ſunt quædam quæ ut contraria, ut ſi quis dicat muſicum & muſica deſtitutum, aut calidum & frigidum, aut aptum & ineptum inordinatúmue: quandoque uerò minimè. Ab inuicem enim pati contraria impoßibile eſt. Soluitur autẽ hoc, eo quòd ſit aliud ſubiectum. Hoc enim non eſt contrariũ. Quare nec ſunt plura ullo modo principia, ſed duo ut dicamus numero, ſunt, nec omnino ſolùm duo, eo quòd alterum eſſe inſit ipſis, ſed tria.

Si eſt ſubiectum numero quidem vnum, ſpecie autẽ duo, à quibus oportet vnũ vni ſubiici, quomodo non eſt ſubiectum ſibiipſi ſubiectum? ſi autem eſt impoſsibi

le, quomodo non eſt falſum quòd ſubiectum duo ſint? Amplius. Si oportet ſemper aliquid ſubiici eorum quæ facta ſunt, hoc autem eſt hyle, quomodo non eſt hyle ſemper generabilis? ſemper enim vni cõtrariorum ſubiicitur. Aut enim priuationi ſubeſt, aut ſpeciei ipſi priuationi cõtrariæ. Et ſpecie quidem fit forma prædita, priuatione autem fit informis: quomodo igitur non eſt ſubſtantia generabilis ipſa hyle quæ ſemper habet ſuum eſſe generabiliter? Amplius. Si ipſa priuatio nihil aliud eſt præter diſtinctionem vniuerſi entis, quum hãc habeat hyle, quomodo etiam ipſius eſſe hylẽ non deſtruit? Amplius. Si abſente ſpecie ab hyle abeſt ab ea etiam eſſe ſubſtantiam, & quodquid eſt, & ens: nuſquam igitur fuerit materia prima vbi abſue

rit ab ea ſpecies. Præterea, ſi eſt nu meranda hyle, contraria autem quæ huic accidunt non ſunt nume randa, quomodo ſunt tria princi- pia & hyle & quæ ipſi accidunt? Si nihil eorum quę in conſtitutio- ne naturarum quæ fiunt, conſide- ratur ex ipſa hyle, neque qualitas neque quãtitas, quomodo ex ipſa fiunt ea quæ fiunt, per ſeipſa? Si eſt impoſsibile aliquod ens non eſſe etiam & hoc aliquid, quomodo per priuationem quæ aliquid non eſt ipſa hyle eſſe habet? Si priua- tio & ſpecies ſiue forma ipſi hyle accidũt & ſubſtãtia nõ eſt ipſa hy le, quomodo accidunt ei contra- ria? Subſtantiæ enim accidunt acci dentia. Si vt habet ordo in ordina- tis, ſic & ſpecies in ipſa hyle: quo- modo ea quæ non ſunt ordinata ante ordinem, & eſſe & hoc ali-

quid habent? Ipſa enim hyle ante ſpeciem hoc ipſum eſſe non habens, ſeruatur in hyle ratio ordinis vt ad ſpeciem. Si in compoſitione eorum quæ fiunt conſiderantur ſola duo principia, hyle & ſpecies, & ſine cõpoſitione ſunt principia tria, materia ſeu hyle & priuatio, & forma ſiue ſpecies, clarum eſt quòd non exiſtente quidem re ipſa quę fit, poſita erãt tria principia. Quum autẽ res facta fuerit non tria ſed duo: quomodo igitur illud quod fit eſt deſtructio vnius principij: quod ſi non periiſſet, nunquam fuiſſet quod factum eſt? Si quemadmodum patitur homo à muſico & nõ muſico, & corpus à frigido & calido, & vox à conſonantia & diſſonãtia, ſic patitur materia à forma & à priuatione, ſit materia ſubſtantia vt homo

& corpus,aut accidẽs vt vox,vt ſeruetur analogiæ conſequentia. Si autem nec eſt ſubſtantia ipſa materia,nec accidens, nec igitur patitur à contrariis.

EIVSDEM EX EODEM libro.

Quot igitur ſunt principia rerum naturalium circa generationem, & quomodo, dictum eſt. Et manifeſtum eſt quòd debet aliquid ſubiici contrariis, & contraria duo eſſe. Alio autem quodam modo non eſt neceſſarium. Potens enim eſt alterum contrariorum facere mutationem præſentia uel abſentia. Subiecta autẽ natura eſt ſcibilis ſecundum rationem. Vt enim ad ſtatuã æs, & ad lectum lignum, aut ad formam aliorum illud habentium eſt aliquid, ipſa materia habet priuſquã accipiat formam, ſic ipſa ſe habet ad eſſentiam ſub-

ſtantiámue, & ad aliquid, & ad ens. Vnum igitur principium ipſa eſt non ſic unum exiſtens, neque in quo eſt hoc aliquid, ſed eſt unum qua eſt ratio. Eſt autem hoc cõtrarium priuatio. Vtrum autẽ eſt ſubſtãtia, forma uel ſubiectũ?

Si forma ſuï præſentia ſpecificat materiam, & ſua abſentia facit informẽ ſpeciéue deſtitutam, ſunt autem duo principia forma & informe: facit autem hoc ipſum priuatio ſua abſentia & pręſentia, erunt principia à ſeipſis facta & deſtructa & non ęterna. Quod enim eſt æternum nunquan vtitur aut eget preſentia aut abſentia vllius rei vt ſit. Si præſentia aut abſentia contrariorũ fit principiorum mutatio, manifeſtum eſt quòd fit mutatio eo quòd ſint principia: quomodo igitur poſſunt eſſe principia, quę abiecerunt ſuum eſſe prin

cipia? Si principium habens principium non eſt principium, quomodo materia quæ habet ſuæ eſſentię principiũ formam, & vt non ſit, habet priuationem, poteſt eſſe principium? Naturam verò vocare ſubiectum priuationi, quod nec eſt ſubſtantia, neque hoc aliquid, neque ens, quomodo non eſt ſuperfluum? ſi principia nec ex aliis ſunt neque ex ſeipſis, eſt autem de ſubſtantia formæ priuatio, & ex abſentia priuationis forma, quomodo non ſunt ex ſeinuicem principia & ipſa forma & priuatio? mutua enim abſentia ſunt effectiua mutuò. Si quam habet rationem æs ad futuram ex ipſo ſtatuã, eam habet materia ad eſſentiam & ad hoc aliquid & ad ens, quomodo erit æs, ſi non erit ſubſtãtia & hoc aliquid & ens? rationem ad ſtatuã

n poteſt habere.Materia autem
que ſubſtantia exiſtens neque
c aliquid, neque ens rationem
bere ad æs poteſt? Si ea omnia
æ conſiderantur in conſtitutio-
bus rerum naturaliũ ſenſu ſunt
bilia,quomodo materia ex qua
t ſenſibilia per cõparationem
ſcibilis & non per ſenſum? aut
omodo omnino ex non ſenſi-
poſſunt fieri ſenſibilia? ſi hoc
quid eſt & vnum principium eſ
quomodo materia vt ſit, vnum
et principium, vt autẽ ſit hoc
uid non habet? Et ſi eſſe hoc
uid, & hoc, hoc aliquid non eſ
bſtantia eſt, quomodo mate-
ſt hoc, hoc aliquid non eſſe,
ubſtantia autem nõ eſt? Quo-
lo poteſt aliquis excipere ma-
m ne ſit vnum, qui illam in
ſpecies diuidit, videlicet in

ſubiectum rei quæ fit, & in contrarium? ſi nondũ manifeſtum eſt ex prædictis, ſi ſubſtantia eſt forma aut ſubiectum, quomodo negatiuè affirmauit non eſſe ſubſtantiam, nec hoc aliquid, nec ens? ſubiectum enim dixit eſſe materiam, aliquando autem non eſſe ſubſtantiam, nec hoc aliquid, nec ens, aliquando autem, eſſe incertũ ſi ſubſtantia eſt. Quomodo ergo nõ eſt ex iis qui neſciunt quid dicant?

EX EODEM LIBRO.

Primi filoſophiæ profeſſores quum ſcrutati fuiſſent ueritatẽ & naturam rerũ ſubuerſi ſunt, ueluti in aliam quandam uiã ab inexperiẽtia, & dicũt nec generari quicquam nec corrumpi, eo quòd ſit neceſſariũ res fieri aut ex ente, aut ex non ente. Ex ipſis autem am-

us eſt impoſsibile fieri. Quod enim
a eſt, fieri non poteſt. Iam enim eſt.
nihilo autẽ nil fit. Subiici enim quic
um neceſſe eſt. Et ſic augentes ea
æ poſtea ſequuntur contingúntque
lta, non eſſe dicunt, ſed ſolùm ip-
m ens.

Satis abundè fuerint iſta vt
ldãt calculum veritati in qua di-
. de Græcorum filoſofis, vt qui
cundum demonſtratiuam ſcien-
am non ſcripſerint de rebus, ſed
oniectura opinionẽ tradiderint.

EX EODEM LIBRO.

Nos autem dicimus quòd fieri ex en
e aut ex non ente, aut ens aut nõ ens
facere aut pati, aut quoduis aliud face
re, uno quidem modo nil differt; aut
hoc medicũ aliquid agere aut pati, aut
ex medico fieri quicquã aut eſſe. Qua-

re poſtquam hoc bifariam aut multi-pliciter dicitur, manifeſtum eſt quòd illud quod eſt ex ente & quod eſt ens patiatur aut faciat aliquid. Aedificat igitur medicus non quatenus eſt medicus, ſed quia eſt œcodomus. Et albus fit non quatenus eſt medicus ſed quia eſt niger. Sanat autem & immedicus fit quatenuus medicus: quoniam maximè dicimus medicum propriè facere aliquid aut pati aut fieri ex medico ſi quatenus eſt medicus huiuſmodi facit aut patitur, uidelicet hoc non ex ente fieri ſignificat, quatenus uidelicet non eſt, quodquidem illi non diſcutientes abſceſſerunt. Et ob talem ignorantiã eo uſque inconſiderationis uenere, aut nil putarent eſſe aliarum rerum aut fieri, ſed euerterent omnem generationem. Nos autem dicimus & ipſi, fieri quidem ſimpliciter nihil ex non ente, & tamen fieri ex non ente, ueluti per ac-

ci-

cidens. Ex *priuatione enim quod per ſe eſt non ens,non inexiſtente fit.* Hoc *au tem in admirationẽ cadit,& impoßibile ſic uidetur fieri aliquid ex nõ ente, ſic & neque ex ente,neque ens fieri niſi per accidens:ſic & hoc fieri eodẽ modo , ut ſi ex animali animal fieret, aut ex quodam animali quoddam animal: ut ſi canis ex equo fieret,fieret quidem non ſolùm ex aliquo animali canis,ſed ex animalı,non quatenus eſt animal.* I*am enim hoc inerat.* Si *autẽ quicquam futurum eſt,ut fiat animal non ſecundũ accidens,non erit ex animali,licet ſit aliquod ens,non ex ente, neque ex non ente.* Hoc *enim ex non ente dictum eſt nobis quid ſignificat , quod quatenus non ens:præterea uerò, hoc eſſe uniuerſum,aut non eſſe non deſtruimus.*

Si quod non eſt ex ente ſimpliciter , nec ex ſimpliciter non ente poteſt quicquam fieri aut eſſe, cõ-

mune quidem eſt eorum qui generationem deſtruũt propter ignorantiam & inexperientiam, huius ergo qui errantes corrigit, quomodo non eſt deſtructa generatio ſecũdum correctorem ſicut & deſtructa eſt ſecundum errantes? ſi eſt impoſsibile quicquam fieri per accidẽs ex ente, & ex nõ ente, non pręcogitata generatione eius quod per ſe fit, & impoſsibile eſt medicum ædificare non ædificante ædificatore, ſi fuerit niger & œcodom⁹ medicus, quomodo fit aliquid ſecundum accidẽs ex ente & non ente nihilo præcogitanter per ſeipſum facto? Si prius quidem eſt animal, poſterius autem animal ex animali, & aliquod animal ex aliquo animali, & generationi quidẽ animalis ex animali ſubiicitur ſemen, potẽtia quidem animal, actu

autem non animal, generationi autem ſimpliciter animalis ſubiectũ non erat ſperma, quomodo non eſt præter naturam factum animal ex animali? Si antequã res fiat, materia quidem erat, & quod eſt factum ex ea non erat, quid erat materia, vt ſi materia erat equi ante generationem equorum? Si omnia quæ ſunt in ſubſtantia equi conſiderata ſunt generabilia, quomodo erat materia ingenerabilis ex qua factus eſt equus? Si per ſe quidem neque priuatio eſt, neque materia, accidens autem rei per ſe exiſtenti accidit, quomodo per accidens fieri poteſt quicquam ex priuatione quæ nec per ſe eſt nec per accidens? Quæ ſeiuncta quum ſint impoſsibile eſt quicquã fieri ex vtrouis horum, nec ex illis ipſis cõplexis poteſt quicquã fieri, vt ex ente

ſimpliciter non eſt poſsibile quicquam fieri. Similiter & ex non ente ſimpliciter, vt vocibus terminíſue Ariſtotelicis vtamur, quomodo fiunt vtraque poſsibilia, & fieri ex ente, & fieri ex non ente? Si ſubiectum ex quo fit quod fit, neceſſe eſt contrariis ſubiici, non igitur fit quicquam ex priuatione ſecundũ accidens contrariis non ſubiectis. Qui vniuerſum non deſtruit, nec eſſe nec non eſſe, ſed concedens vniuerſum eſſe, & nõ eſſe: quomodo poteſt verum aſſerere, dicens materiam non eſſe nec ſubſtantiã, neque ens, neque hoc aliquid? ſi fit quidem quod fit non ex ſimpliciter non ente, nec ex ſimpliciter ente, ſed ex vtroque: fit igitur & ex materia veluti ex ente & ex nõ ente, & veluti ex eo quod eſt aliquid, & quod nõ eſt aliquid. Sed ſi hæc

ita habẽt, falſum eſt quod dictum eſt de materia quòd non ſit ſubſtantia, neque hoc aliquid neque ens. Sicut materia eſt informis, & forma & immateriale erunt duo principia. Sed ſi materia & informitas eius ſunt duo principia, igitur & forma & eius immaterialitas erunt duo principia. Quomodo igitur quum ſint quatuor principia, ſunt poſita ſolùm tria?

EX EODEM SERMONE.

Nos quidem Materiam & priuationem diuerſum eſſe aſſerimus, & horum alterum quidem, uidelicet materiam eſſe non ens per accidens, priuationem autem per ſe non eſſe ens. Et *illam quidem prope eſſe & quodammodo ſubſtantiam, hanc autem nullo modo.* Illi *autem non ens eſſe dicunt,*

magnum & paruum ſimiliter unum utrunque aut ſeorſim utrunque, quare omnino alius modus iſte eſt trinitatis triadóſue & iſte.

Si per accidens non ens eſt eſſe materiæ, manifeſtum eſt quod etiam per accidens materia nec materia eſt nec principium. Eſt enim entis eſſe materiam & eſſe principium. Et ſi per accidens non ens eſt eſſe ipſi materiæ propter priuationem, videlicet per accidens, ens eſt propter formam, erit quidem materia per ſe nunquam exiſtens, per accidens autem ſemper quidem aut non ens eſſe, aliquãdo verò ens eſſe. Quomodo igitur nõ eſt abſurdũ dicere eſſe prope ſubſtantiam, ſubſtantiam autem nunquam per ſe ens? Si aliud eſt materiam eſſe & aliud cuiuſquam eſſe materiam, & priuat quidem ma

teria ne cuiuſquam ſit materia, ne autem ipſa ſit materia non priuat, erit ſanè materia ens & non ens. Ens quidem, quia eſt materia, non ens autem, eo quòd non ſit cuiuſquã materia. Sed ſi nullius eſt materia, materia, nihil eſt informitatis materia. Si autem eſt informitatis materia, nuſquam igitur eſt materia qua eſt materia, ſed ſemper alicuius eſt materia, quandoque informitatis, quandoque autem formæ. Quod autem aliquid ſit informitas, clarũ eſt, quia poſita eſt eſſe eorum quæ fiunt principium. Sed ſi hæc ita habent, nunquam eſſet igitur non ens eſſe materiam, ſed ſi ens eſſe, aliquãdo formæ expers aliquando autem forma prꝍditũ, ideo ſemper eſt generabilis. Si poteſt materia ſibi coæternam informitatem abiicere, poteſt igi-

tur & coæternam & ſibi abiicere ingenerationem. Quòd ſi non poteſt ſecundum, non poteſt primum. Quomodo igitur fit res ex materia, materiâ ipſa coęternam ſibi informitatem non abiiciente? ſi ſicut modus eius triadis quæ ſecundum Ariſtotelem eſt alius, eſt præter modum triadis Platonicæ, ſic & trias eſt alia, quomodo non eſt principium eorum quæ fiunt ſenarius ſed ternarius, & ſi trias nõ eſt alia, quomodo modus ipſius eſt alius?

EX EADEM ORATIONE.

Quæ autẽ concauſa perdurat, ipſi formæ eſt ueluti mater, alia autem eſt ſors contrarietatis, poſſet imaginari illi qui animi aciem intendat ad maleficã eius potentiam, nec eſſe omninò uidetur.

Quum enim ſit quoddam numen & bonum & expetendum, illi contrarium eſſe dicimus. Fieri autem, *ſeu naſci appetere & cupere illud ſecundum naturam ipſius.* Illis autem *contingit contraria appetere de ipſius corruptione, & nequaquam eſt poſſibile appetere ſuiipſius formam, eo quòd non ſit indigens neque contrarium.* Corruptiua *enim ſunt mutuò contraria.* Sed *hoc eſt materia, ueluti ſi fœmina uirum, ſi deforme pulchrum: at non quatenus deforme eſt, ſed per accidens, neque quatenus eſt fe mina ſed per accidens.* Contigit *autem alicubi ut corrumpatur aut fiat, aliquando minimè.* Vt *enim illud quod in ſe eſt, corrũpitur.* Quod *autem corrumpitur in hoc, eſt priuatio.* At *ſecundum potentiam, non per ſeipſam, incorruptibilem & ingenitam eſſe ipſam neceſſe eſt.* Si *enim facta eſſet, ſub-*

eſſet neceſſariò aliquod primum, & ex quo inexiſtente. Hoc autem eſt ipſa natura. Dico autem materiam primum ſubiectum ex quo inexiſtente fit aliquid non ſecundum accidens, ſiue corrumpatur quicquam, in hoc poſtremo deueniet, ut ſit corrupta antequã corrumpatur.

Si quemadmodum principium eorum quæ fiunt eſt materia & forma, ſic & priuatio, quomodo materia eſt cócauſa formæ eorum que fiunt, priuatio autem non eſt concauſa? ſi ea de re forma eſt ſpecies, eo quòd eſſe rei que fit eſt ex ea, propterea etiam & priuatio eſt principium eo quòd adeſt nõ eſſe rebus quæ fiunt, quomodo igitur dicitur principiũ eorum quæ ſunt priuatio? Si quum adeſt forma, priuatio non ſubſiſtit, clarum eſt quia abſente forma ſubſiſtit pri

uatio. Quomodo igitur non erit abſurdum dicere non eſſe quod ſubſiſtat? Ente enim exiſtente, eſt ſubſiſtere. Si altera pars ſórue cõtrarietatis eſt priuatio, & huius malefica vis eſt forma, quomodo nõ eſt forma & bonum & malum: bonum quidem materiæ, vt propter ipſum inſit materiæ quod ſubſtãtia ſit, malum autem ipſi priuationi, vt quæ per ipſum deſtruitur? Amplius. Eſt aliquid diuinum & bonum & expetendum, & habet contrarium quod non eſt bonum neque expetibile: erit igitur numẽ bonum & non bonum expetendum & non expetendum & ſic diuinum & non diuinum. Si autem hoc eſt abſurdum, ergo numen bonum & expetendum non habet quicquam contrarium. Quod enim eſt ſimpliciter bonum omni-

bus eſt bonum & non quibuſdam ſolùm. Si eſt cõtrarium boni, non appetit bonum: corruptionem enim ſuæ naturæ expeteret, ſi cuperet bonum. forma etiam ſeipſam non appetit, nullius enim indiget forma. Eſt autem numen appetibile & optandum: cui autem erit expetendum niſi ipſi materiæ? Animata igitur eſt materia. Animati ſi quidem eſt cupere & expetere. Si autem animata eſt materia, quomodo non eſt falſum, materiam ipſam quę non eſt eſſe per accidens? anima enim eſt ens, & qui habet animam, eſt ens. Si vt fœmina appetit maſculum, & vt deforme pulchrum, materia expetit bonum: & non eſt materia per ſe nec femina nec deforme, ſed per accidens, certum eſt quòd per ſe non appetit bonum, ſed per accidens. Erit igi-

tur numen etiam non per ſeipſum bonum & expetendum, ſed per accidens: quod eſt abſurdum dicere. Si eſt materia, generabilis quidem ob formam, corruptibilis autem propter priuationem, ingenerabilis autem per ſe & corruptibilis, erit quidem ſemper generabilis & corruptibilis, incorrupta autem & ingenerabilis nunquam: ſemper enim aut priuationi ſubiacet quæ in ea corrumpitur, aut formæ quæ in ea fit. Ingenerabile quidem in generabilibus priuationem ſignificat generationis quæ poteſt eſſe: in æternis autem negationem ſignificat omnis generationis, tam præcedentis quàm futuræ: vt æs quod futurum eſt ſtatua, antequam fiat ſtatua ingenerabile dicitur, per priuationem eo quòd poteſt fieri ſtatua. in deo autem ingenitum vni-

uerſæ ſignificat generationis negatiõnẽ tam præcedentis quàm futuræ. Quum igitur ſint duo modi ingenerabilitatis, ſecũndum quem eſt ingenerabilis, materia? Si per priuationem ingenerabilis eſt materia vt æs: ſi autem ſecundum generationem eſt materia ingenerabilis, nihil igitur fit materia: neque quam rationem habet æs ad ſtatuam, illam poteſt habere materia ad ſubſtantiam ſecundum ea quę dicit Ariſtoteles. Si ſic vt deus eſt ingenerabilis materia, & poteſt facere deus ex ingenerabili aliquid, clarũ eſt quòd poſsit etiam ex non ente ſimpliciter facere aliquid. Quam enim habet aptitudinem non ens ad non fieri quicquã ex eo ſecundum naturam & ſecundum artem, eandem habet etiam ab æterno ingenitum vt fiat ali-

quid ex eo aut ſecundum naturam aut ſecundum artem. Quomodo igitur ex ingenerabili ab æterno potuit deus facere quicquam: ex non ente autem ſimpliciter non potuit? Sed eſt manifeſta infidelitas quòd deus poſsit ex non ente facere quicquam, hoc quidem primos filoſofos impulit in negationẽ omnis generationis eius quæ fit ex materia. Ariſtotelem autem qui hoc correctioni ſubiecit in deſtructionem generationis materiæ. Si eſt quod fit, & eſt aliquid hoc quod iſtud fit, vt in ſuperioribus dixit: nihil igitur horum eſt materia ſi quidem eſt ingenerabilis & incorruptibilis. Si ingenerabilis eſt materia & incorruptibilis, neceſſariò ſecundum alterum ingenerationis modum eſt ingenerabilis, nec igitur quicquam fit ex ip

ſa neque corrumpitur quicquam in ipſa. Quomodo igitur corrumpitur in incorruptibili priuatio? Si vna eſt materia, multa autem ſunt & differentia illa quæ ex ea fiunt, quomodo neceſſe eſt manere materiam ingenerabilem, quum ſemper diuiſibile ipſius non poſsit indiuiſibile permanere? Si numero quidem eſt vna materia, ſpecie autem duo, & eſt ingenerabilis, atque incorruptibilis: aut eſt tota ingenerabilis & incorruptibilis aut eius dimidium. Si tota eſt ingenerabilis & incorruptibilis, manifeſtũ eſt quòd eius dimidium tale eſt. Si dimidium eſt ingenerabile & incorruptibile, & dimidiũ alterum non eſt tale: erit igitur negatio de eodem affirmatio veráue, quod eſt impoſsibile. Si quod recipit formam, aut fit illa forma aut ex ea fit quo-

quomodo eſt ingenerabilis materia quæ formam recipit? Si eorum quæ ſunt eſt eſſe ingenerabile & incorruptibile, quomodo materia & ens non eſt, & ingenerabilis incorruptibiliſque eſt? Si quod eſt ingenerabiliter in ingenerabili eſt & ipſum ingenerabile, quomodo priuatio quæ in materia ingenerabilis eſt & fit & corrumpitur? Si, ut dictum eſt, ſufficit alterum contrariorum ſui præſentia aut abſentia facere mutationem, quid eſt quod mutat materiam quæ eſt ingenerabilis & incorruptibilis. Si ingenerabile & incorruptibile circa ſubſtantiam conſyderatur, quum ſit ingenerabilis & incorruptibilis, vbi eſt ingenerabile & incorruptibile materię, quum ſubſtantia non ſit ipſa materia? Si non erat generabile æs ſecundum ſuam ante

factam generationem, nec ſtatua fuiſſet. Quomodo igitur ſit materia aut ex materia aliquid quũ materia antè facta non fuerit? Si non corrũperetur æs nec ærea res corrũperetur. Quomodo igitur materiale, materia ipſa incorruptibili exiſtente? Si ex incorporeis corpus non perficitur, quomodo ſit corpus ex materia & forma quæ incorporea ſunt? Si naturali neceſſitate illud conſequitur ingenerabile & incorruptibile vt ſit indiuiſibile & incommutabile, quomodo in diuiſis ſecundum genera ſpeciebus ingenerabilis & incorruptibilis materia? Et quomodo per alterationem fiunt ea quę conuertuntur mutantúrue ſecundum materiam ſicut in expoſitione modorum generationis determinauit in ſuperioribus?

EX SECVNDO LIBRO DE naturali auditu Ariſtotelis.

Vno igitur modo natura ſic dicitur, prima unicuique ſubiecta materia, eorum quæ habent in ſe principium mutationis & motus. Alio autem modo forma & ſpecies que eſt ſecundum rem. Sicut enim dicitur ars quod eſt ſecundum naturam, & artificiale, ſic & natura quod eſt ſecundum naturam dicitur, & quod eſt naturale.

Quid ergo diceremus, quod eſt circa materiam & materiale niſi materiam? dic aliquid aliud. Si autem hoc diceremus materiam, erit igitur tunc materiam eſſe materiam, tam quod eſt circa materiam quàm materiale. Tunc enim natura, eſt natura, quando eſt ſecundum naturam & eſt naturale. Similiter & ars. Quæ enim eodem modo proferuntur eodem

modo ad inuicem ſe habēt. Sed ſi tunc materia ineſt quando ſecundum materiam & materiale, non eſt ingenerabilis materia.

EX EODEM LIBRO.

Itaque natura alio modo eſſet ab iis quæ in ſe habent motus principium, forma & ſpecies non ſeparabilis exiſtens, ſed uel ſecundum rationem. Quod autem eſt ex iis, non eſt natura, uerùm natura ut homo. Difiniens enim diceret, natura eſt quod eſt ſecundum naturam & naturale.

EX EODEM LIBRO.

In iis quidem quæ ſunt ſecundum artem nos facimus materiam operis gratia. In naturalibus autem ipſa eſt in eſſe.

Poſtquam eſt opus aliud quod non eſt ſecundum naturam neque ſecundũ artem, vbi eſt huius operis ponenda materia? Fit enim animal ex animali, & niſi eſſet primũ animal, nec eſſet animal ex animali. Et ſecundum naturam quidem fit ex animali animal : non ſecundũ naturam verò, animal ſimpliciter. Sed ſi in iis quæ ſunt ſecũdum artem, materia extrinſecus eſt, in iis autem quæ ſunt ſecundum naturam, materia eſt in naturalibus, clarum eſt quod in illis quæ nec ſunt ſecundum naturam nec ſecũdum artem materia aliter habet, cuius niſi facies difinitionem, qui de naturalibus habet tractationem inuicem repugnantia facit quæ difiniuit. Si enim tunc ſingula putamus ſcire nos quando cauſas primas cognoſcimus, & prima princi

pia, quomodo cognoſceret aliquis animal quod ex animali eſt, qui ignorat animal quod ex animali nõ eſt? Illud enim ipſum eſt huius principium & cauſa.

EX EODEM LIBRO.

Quoniam autem ſpontaneum ſórſue & fortuna cauſa eſt eorum quorum (cauſa) fuerit mens aut natura quando per accidens aliquid cauſa fuerit eorundem, nihil autem per accidens eſt prius illo quod per ſe eſt, clarum eſt quòd illud quod eſt per accidens, non eſt prius eo quod per ſe eſt. Sunt igitur poſteriora ſors & fortuna, mente & naturâ. Quare quoniam ſors maximè cauſa hominis eſt, neceſſe eſt prius mentem & naturam quum aliis rebus tum maximè hoc uniuerſo.

In his non ſolùm primarum & ſecundarum cauſarum quem non ſeruauit ordinem dixit, ſed etiam

ipſum coelum quod etiam ipſum in ſecundo libro de ſyſico auditu in ſuperioribus exemerat à ſpontanea generatione, hîc ſubiecit generationi non ſoli ſpontaneæ, ſed quæ per mentem & naturam fit, quod eſt manifeſtè abſurdũ, eum videlicet qui accêpit per mentem & naturam eam generationẽ quæ eſt ſecundum ſubſtantiam per primas cauſas, hunc rurſus accipere generationem per ſecundas cauſas. Amplius autem: quomodo non eſt abſurdiſsimum, eundem aliquando quidem à ſpontanea generatione, aliquando verò eidem ſubiicere, & aliquando ingenitum nominare, aliquando autem generabile à natura. Edam autem harum vocum expoſitionem in quibus hæc facit, vt ex æquo cognoſcatur falſitas in ipſis contenta.

EX EODEM LIBRO.

Sũt autem qui etiam cœli huius & mundanorũ omnium accuſant ſpontaneũ: ex ſpõtaneo enim aiunt fieri reuolutionẽ & motum, & ſegregarũt & cõſtituerunt in hũc ordinẽ uniuerſitatẽ, dicentes etiam hoc admiratione eſſe dignum. Quod enim ipſa quidem animalia & plãtæ à fortuna nec ſint nec fiant, ſed ſiue naturam, ſiue mentem, ſiue quicquam aliud tale eſſe (conſtat) nec enim quoduis ex quouis ſemine fit, ſed ex iſto oliuam, ex hoc autem hominem. Diuiniora autem ex his que manifeſta ſunt à ſpontaneo fieri. Hanc autem cauſam nullam eſſe qualis eſt plantarum aut animalium. Et ſanè ſi hoc ita habet, hoc ſanè fuerit cauſa quæſtionis & bene habet ut dicatur aliquid de hoc. Præterquam quod enim eſt aliàs irrationabile dictum, adhuc eſt ab-

ſurdius dicere hæc, uidentes in cœlo quidem nihil ſponte ſortéue factum. In his autem quæ ſunt à fortuna multa quæ non ſunt à fortuna contingunt, & ſanè æquum erat ut eſſet contrarium.

Quod à ſpontaneo quidem ſit factum cœlum, & rurſus non à ſpontaneo, hoc demonſtrant voces, quarum expoſitionem fecimus ex ſecundo libro de naturali auditu, in duobus capitibus vndecimo & duodecimo. Quod autem ingenitum & rurſus genitum eundem dicat, faciam harum vocum expoſitionem in quibus illa ſcripta reliquit.

EX SECVNDO DE COElo libro Ariſtotelis.

Quod autem non ſit factum cœlum nec contingat corrumpi ut quidam di-

cunt, ſed eſt unus & æternus principium & finem non habens uniuerſi æui, habens autem & continens in ſe infinitum tempus, ex iis quæ dicta ſunt licet fidem capere.

Hæc de ingenerabilitate cœli vbi Ariſtoteles dixit vide rurſus qualia de eius generatione in primo De cœlo libro dicat.

Et rectè uiſum eſt naturæ ut quod eſſet futurum ingenerabile & incorruptibile ſeligeret ex cõtrariis. In contrariis enim eſt generatio & corruptio.

Si rerum impoſsibilium nec eſt quicquam nec eſſe poteſt, eſt autem hoc ex impoſsibilibus, quod ſit futurum incorruptibile & ingenitum ſinéque carens habere in ſe & retinere in ſe infinitum tempus. Sanè eſt qui iſta dicit ignorans impoſsibilis & poſsibilis negocij reíue naturam.

EX PRIMO LIBRO DE
cœlo ad finem.

Nihil enim à ſpontaneo aut incorruptibile aut ingenerabile eſſe poteſt.

Quomodo poſſet aliquis credere contraria de cœlo affirmanti:in vndecimo enim capitulo ſpõtaneum dicit eſſe cauſam cœli. In tertiodecimo autem affirmat cœlum carere principio & generatione.

EX SECVNDO LIBRO
de naturali auditu.

Sunt autem duo principia quæ mouent naturaliter,quorum alterum non eſt naturale : non enim habet motus principium in ſe . Tale autem eſt , ſi quid mouet non motum , quare hoc eſt omnino immobile & omnium primũ.

Quomodo igitur mouerit na-

turaliter principium quod nec eſt, nec ſecundum naturam mouens? Soli enim naturali principio mouenti ſecundum naturam, conſequens naturale mouere. Si principium quod non eſt naturale non habet in ſe principium motus, clarũ eſt quòd naturale principium habet in ſe motus principium. Sed principium principiũ habens, non eſt principium. Si in æternis ingenitis nil, altero prius aut poſterius eſſe poteſt: quomodo eſt principium immobile quod non mouetur mouens, omnium primum eſt aut omnino principium?

EX TERTIO LIBRO de re eadem.

Quod autem ſit infinitum, capiunt fidem ex tempore. Hoc enim *eſt infini-*

tum, eo quòd ſic nō ſolum relinquat generationem & corruptionem ſi infinitum eſſet, unde tollitur, quod fit.

Si tempus ſemper in fieri habet eſſe, quod autem fit antequam fieret, non erat, quomodo infinitum eſt tempus, cuius ſemper eſſentiã præcedit non exiſtentia? Quod enim nondum adeſt, futurum eſt vt veniat, & futurum futurum eſt vt veniat, & præteritum fuit futurum. Si ad non relinquēdum generationem & corruptionem, neceſſe eſt eſſe infinitam generationem & corruptionem: erit igitur generatio & corruptio ſine principio, ſicut & ingenitũ & incorruptibile. Si autē hoc eſt impoſsibile, non eſt infinita generatio & corruptio.

EX EODEM LIBRO.

Sed uerò nec numerus ſic uti ſepa-

ratus & infinitus: numerabile enim eſt numerus. Si igitur quod eſt numerabile contingit numerari, & diſcurrendo eſſet poßibile infinitum.

Si rei numerabilis & illius qui numerum habet, nõ eſt numerus infinitus, tẽpus autem eſt factũ numerabile, erit ſanè finitum, quod factum eſt tempus.

EX EODEM.

Quia ſi non eſt infinitum uſquam multa impoßibilia contingere clarum eſt. Temporis enim erit quoddam principium & finis, & magnitudines non erũt diuiſibiles in magnitudines & numerus non erit infinitus.

Si aliquod infinitum eſt hoc actu, hoc autem potentia, impoſsibile autem eſt inſtans in actu exiſtens infiniti non fuiſſe prius in potentia. Sed ſi prius fuit potentia,

poſterius eſt actu. Si vt ſecũdum futurum eſt interminabile tempus, ſic & ſecundum præteritum caret principio, erit & ſine tempore ſicut ingenitum ſecundum futurum, ſic & ſecundum præteritum. Si hoc eſt, impoſsibile eſt ingenitum eſſe tempus ſecũdum futurum ſecundum quod nondum erat factum. Eſt autem factum ſecundum præteritum, non igitur eſt ſine principio tempus. Eius enim qui caret principio, non eſt generatio, temporis autem eſt. Si nil poteſt actu eſſe infinitum, igitur nec quæ iam ſunt deſumptæ diſſectiones dichotomiæue magnitudinis infinitæ ſunt, nec nũc aſſumptus numerus, numerus. Sunt enim ambo energia actúue. Si autem non ſunt infiniti, ſunt igitur finiti. Si ſunt finiti, principium

igitur habent:illa quidem vt diſſecentur,hæc autem vt numerẽtur.

EX EADEM ORATIONE.

Infinitum autẽ eſt,aut additione aut ablatione. Magnitudo autem quod nõ ſit actu infinita, dictũ eſt,ſed diuiſione eſt. Vnde relinquitur ut potẽtia ſit infinitum. Non oportet autem hoc potentia exiſtens accipere ut ſi eſſet poßibile hanc ſtatuam eſſe, ut ſit et hoc ſtatua, ſic quodammodo et infinitum quod ſit actu:ſed quoniam multipliciter hoc potentia eſſe, tanquam dies eſt, et certamen,eo quòd ſemper aliud et aliud fit, ſic et infinitum. Etenim in his eſt et potentia & actu. Omnino quidem ſic eſt infinitum eo quòd ſemper aliud atque aliud accipiatur,et quod accipitur ſemper finitum ſit, ſed eo quod ſemper ſit aliud atque aliud.

Si actu nihil eſt infinitũ, clarum eſt quod quicquid actu eſt, ſemper eſt finitum. Finitum autem quum ſit, neceſſariò principium habet. Quum principium habeat neceſſariò eſt generabile, generabile quum ſit, erat aliquando quãdo non erat: hoc eſt omnis infiniti dicti tam additione quàm ablatione, tam potentia quàm diuiſione.

EX EODEM LIBRO.

Nec ſi quicquam extra eſt, hoc infinitum eſt, ſed quod recipit quod eſt extra, maius fit quàm eſſet priuſquam reciperet quod extra eſt. Quod autẽ additione maius ſeipſo fit, ſemper eſt finitum.

Si infinitum eſt ſemper in additione & ſubductione, ſemper eſt in additione infinitum. Quomodo igitur eſt ſine principio quod

habet ſemper ſuum eſſe in fieri? Generabile enim imprincipiatum non eſt. Infinitę ſunt lectiones magnitudinis. Quare potētia quidem eſt, actu autē minimè, ſed ſemper excedit quod aſſumitur multitudinem præfinitam: verum nō eſt definibilis hic numerus, neque manet infinitudo, ſed fit vt & tēpus & numerus temporis. Si non manet infinitas, ſed fit vti & tempus, & numeri tēpus, nil igitur infinitum ingenerabile. Si autem omne infinitum generabile, generabilia ſunt & cætera omnia in quibus dicitur eſſe in infinitum. Si quod accidit infinito, accidit neceſſariò illis in quibus eſt infinitas, contingit autem infinito fieri & eſſe inchoatū, generabile igitur eſt tempus & incœptum. Sic & motus cuius tempus eſt numerus.

EX QVARTO LIBRO DE eadem tractatione.

Quod autem non eſt ens, nuſquam eſt.

Quomodo igitur (erit ens) materia quæ nihil eſt, nec ſubſtantia, nec ens, nec hoc aliquid?

EX EODEM.

Poſſet etiam uideri rectè dixiſſe Heſiodus qui primum fecit Chaos. Dicit igitur: Primum quidem omnium fuit Chaos, cæterum poſtea terra latè patẽs humeris, ut quod decebat primo eſſe locum capacitatémue rebus, eo quòd putet ut multi omnia eſſe alicubi et in loco. Si autem eſt tale quid, mirabilis ſanè eſſet loci potentia, & omnium prima, ſine quo aliorum nil quicquam eſt, illum autem omnibus aliis priorẽ eſſe opus eſt.

Si igitur primus eſt locus, & poſteriora ea quæ ſunt in loco naturali neceſsitate, ſicut dixit Heſiodus & Ariſtoteles, ſuffragium tulit ſermonis veritati: quomodo igitur nõ eſt ex impoſsibilibus dicere ingenitum cœlum quum ſit in loco? hoc enim perinde eſt atque ſi quis dicat, ante ingenitum fuiſſe genitum.

EX EODEM SERMONE.

Primùm quidem oportet conſyderare, quòd nunquam quæreretur locus, niſi eſſet motus ſecundum locum. Propterea enim maximè putamus cœlum eſſe in loco, quia eſt ſemper in motu.

Si eſt impoſsibile ingenitũ tam ad eſſe quàm ad moueri egere mobili, impoſsibile igitur eſt eſſe cœlum ingenitum. Eget enim loco ad

hoc vt ſit, & ad hoc vt moueatur.

EX EODEM.

Magnitudinem quidem habet locus, corpus autem nullam.

Si circunſcriptas habet locus diſtantias & magnitudinem, generabilis eſt igitur locus. Si auté habet infinitas, hoc eſt actu vel potentia. Sed ſi potentia, eſt igitur generabilis locus ſicut & tempus, & temporis numerus. Si autem actu, falſa eſt aſſertio quæ dicit, Nil actu poſſe eſſe infinitum. Si per prouidentiam cuiuſpiam locus eſt id quod eſt, & habet quod habet: generabilis igitur eſt, éſtque prouidétiæ ſecundus. Si autem ingenerabiliter & ſine principio eſt locus id quod eſt, & habet quod habet, ingenerabilis eſt locus & primus

omniũ eorũ quæ ſunt in loco eſt cœlus, & ea quæ in cœlo videntur, vt ſine quo nil quæ aliorũ eſt, illud omnino aliorum omnium eſſe primum oportet.

EX EODEM.

Vt enim ſi alteratur, eſt hoc quod nũc eſt album antea erat nigrum, ideo dicimus eſſe aliquid materiam, ſic & locus propter iſtam talem uidetur eſſe cuiuſdam fantaſiæ apprehenſioniſue, uerum illud quidem propter quod hoc erat aer, hoc nunc aqua. Locus autem quoniam ubi erat aer ibi nunc eſt aqua.

Si quam habet rationem locus ad ea quæ ſunt in eo, eandem habet materia ad ea quæ ſunt in ea propter ſimilem fantaſiam: eſt autem incomprehenſibilis locus &

materia, nihil igitur eſt materia eorum quæ in ea fiunt & alterantur, nec ſubſtantia. Quomodo igitur eſt poſita materia ſubſtantia corũ quæ ſimpliciter fiunt?

EX EODEM LIBRO
hoc eſt ſecundo.

Omne corpus aut ſecundum lationẽ, aut ſecundum augmentum eſt mobile, per ſeipſum quodammodo. Cœlum autem ut dictum eſt, non ubi totaliter, nec in aliquo loco eſt, ſiquidem nullum illud corpus comprehendit.

Si ſecundum lationem mobile per ſeipſum alicubi, & ſecundum lationẽ verò cœlum eſt mobile, & per ſe etiam neceſſe eſt alicubi eſſe cœlum. Quod ſi non eſt ſecundum, nec primum quidem. Sunt enim inſeparabilia abinuicẽ.

Et deſtructionem vnius ſequitur deſtructio alterius. Si cœlum non eſt in loco per ſe, quomodo dum circulari motu fertur, ex partibus eius ſuperioris fiunt inferiores & cõtra? Quod autem ſurſum & deorſum ſine partibus eſt, quomodo nõ eſt falſum dicere quod non ſit in loco?

EX EODEM.

Puncti non eſt locus.

Igitur nuſquam eſt punctus, ſicuti quod non eſt. Quod ſi eſt falſum, punctus eſt ens & alicubi. Si alicubi eſt, & locum eius eſſe neceſſe eſt.

EX EODEM.

Et eſt locus & ubi, non autem ut in

loco, ſed ut finis terminúſue in re finita. Nec *enim eſt in loco ens, ſed mobile corpus.*

Si omne quod eſt in loco, eſt alicubi, & non omne ipſius vbi eſt in loco, igitur ipſum vbi eſt pluſquam in loco. Quomodo igitur dicitur eſſe vnius prędicamenti & vbi & in loco ea quæ tantum differunt ab inuicem, vt & locus dicatur eſſe vbi, ſed non in loco? Et ſi eſt terminus finiti, alterius quidem quod videlicet finitum eſt, locus eſt, alterius autem finis, quomodo igitur non eſt ſemper neceſſe locum eſſe & finem & locum? Et ſi prior locus illis quæ ſunt in loco, quomodo non eſt ſoluta neceſsitas, vt ſemper ſit locus alterius locus, finis autem alterius? Et ſi quod nuſquam eſt non eſt in loco, ſanè fuerit alicubi vt dixit, quo

modo non eſt idem loci cùm eo quod eſt in loco? Et ſi eſt nõ eſt vniuerſum ens in loco, quomodo nõ erunt eadem quædã entia cum non ente, ſiquidem non eſſe in loco eſt vtriſque commune? Et ſi mobile corpus ſolum in loco eſt, quomodo cœlum erit corpus exiſtens mobile & non exiſtens in loco?

EX EODEM LIBRO DE tempore.

Quod igitur aut non eſt omnino, aut ægrè & imperceptibiliter, ex his quis poſſet ſuſpicari. Pars enim ipſius fuit & non eſt, altera autem pars nondum eſt. Ex his autem & infinitum & ſemper acceptum tempus componitur, quod autem ex non entibus componitur, impoßibile eſſe uidetur ut ſit

ſubſtantiæ particeps. Si enim omnino fuerit diuiſibile, neceſſe eſt etiam hoc aut quaſdam aut omnes partes eſſe. Temporis autem pars abiit, pars autem uenit, eſt autem nihil quod diuiſibile ſit. Inſtans enim non eſt pars, menſuratur enim pars, & componi oportet totum ex partibus. Tempus autem non uidetur componi ex inſtantibus.

Si omne quod fit antequam fieret non erat, non eſt igitur æternum & imprincipiatum tempus, nec etiam motus cuius tempus eſt numerus. Si enim futurum nondum eſt, erat autem & præterita pars temporis antequam eſſet, futura: erat igitur quum non erat facta pars temporis & ſi oportet infinitum eſſe imprincipiatum, non eſt igitur infinitum tempus mutationem futuri habens vt ſit. Et ſi facta pars temporis & actus tem-

poris, futurum autem potentia, in entibus autem actus & potentia: non igitur ex non entibus componitur quod ex præterito & futuro conſtat tempus. Et ſi ſubſtantiâ non participat tempus, ſed ſimul quod adiaceat ipſis ſubſtantiis participat, ex hoc manifeſtum eſt, quod entium eſt tempus. Et ſi præterita pars temporis in præteritis partibus rei diuiſibilis cernitur, quomodo nulla eſt pars temporis quod diuiſibile eſt? Et ſi nunc non eſt minima pars temporis, quid eſt repente, & atomon & punctus qui dicitur temporis, quomodo contingit ex futuro fieri in Nūc mutationem? ex nunc autem in præteritum quum nūc non ſit pars temporis, omnia enim hæc ſunt partes temporis, primum, futurum, poſtea, nūc, poſterius, prę teritum.

EX EADEM MATERIA
libro quarto.

Quod igitur tempus neque motus ſit neque ſine motu clarum.

Sed quod genitum ſit tempus, & non æternum, principiatum & non carens principio, finitum & non infinitum, manifeſtum eſt & hoc. Si tempus eſt tale, neceſſariò & motus cuius numerus eſt tempus.

EX EODEM LIBRO.

Quantus eſt enim motus, tantum & tempus. Semper uidetur fuiſſe.

Quibus generabile & fuiſſe adeſt, his neceſſariò & æternitas, & carentia principij & infinitas abeſt.

EX EODEM.

Tunc dicimus fuiſſe tempus, quãdo prioris & poſterioris in motu ſenſum concipimus. Terminamus autem eo quòd aliud & aliud ſuccedat, & quod in medio eſt alterum. Quando enim alia extrema à medio intellexerimus, & duo dixerit anima, inſtans & prius & poſterius, tunc hoc dicimus eſſe tempus. Quod enim definitur per nunc, tempus eſſe uidetur. Eſt autem tempus numerus motus ſecundum prius & poſterius. Non eſt igitur motus tempus, ſed numerum habet motus. Argumentum autem huius plus et minus iudicamus numero: motum autem plus & minus, tempore.

Qui generationem temporis definit priori & poſteriori in motu, æternam, imprincipiatã & infinitam, neque tempus dicit, neque motum. Si enim factum eſt, neque

eſt æternum, neque principio deſtitutum. Et ſi propriis extremis eſt terminatum, non eſt infinitum.

EX EODEM.

Nunc autem tempus menſurat ſecundum prius & poſterius & magnitudinem motus ſequitur motus, hunc autem tempus.

Si nunc temporis pars non eſt ſicut dixit in 33. capite, quomodo menſurat tempus? aut ergo non menſurat tempus hoc nunc, aut pars eius eſt neceſſariò. Et ſi magnitudinem ſequitur motus, hunc autem tempus, eſt generabilis magnitudo, vti motus & tempus quæ illam ſequuntur.

EX EODEM.

Lineæ minimus numerus multitu-

dine quidem eſt duo aut unum. Magni*tudine autem non eſt minimus.* Mini*mus enim ſecũdum numerum eſt unus aut duo, ſecundum magnitudinem non eſt.*

Si non eſt minima pars, in linea quidem punctus, in tempore autem nunc, quid aliud eſt punctus in linea aut numerus in tempore. quod ſi nõ eſt pars, ſed finis, quomodo igitur ſeorſim à finito impoſsibile eſt eſſe finem, ſine linea autem contingit dari punctum? Et ſi in quibus non eſt minimum in his, neque maximum eſt, ſecundum quid eſt differentia partium minimi & maximi ſublata differentia?

EX EODEM LIBRO.

Quare clarum eſt quòd ſemper exiſtentia,

ſtentia, & ſemper non exiſtentia, non ſunt in tempore, nec enim continentur à tempore, neque menſurătur eſſe illorum à tempore.

Vt igitur motũ dixiſti eſſe perpetuum, & tempus eſſe illius motum. à quibus enim tempus eſt inſeparabile, illa non contingit non eſſe in tempore.

EX EODEM.

Quæ nec mouentur neque quieſcunt, non ſunt ſub tempore. Quod enim eſt in tempore, menſuratur tempore. Tempus autem eſt motus & quietis menſura.

Si eſt ens in tempore, illud mouetur, & quieſcit. mouetur autem cœlum ſecundum dicentem, & quieſcit terra. In tempore igitur ſunt cœlum & terra & horum mo

tus & quies, & cætera.
*Nuſquã igitur eſt materia quã dixiſti in ſuperioribus ſubiectã generatis & corruptis, illis quidẽ veluti ex quo, hic autem velut ad quod.

EX EODEM LIBRO.

Quod autem eſt non album aut non bonum, attamen contingit moueri per accidens. Eſſe enim poteſt homo non album, ſimpliciter autem non hoc ullo modo. Impoſsibile autem eſt non ens moueri.

Si ex non moto impoſsibile eſt ſubſtantiam fieri, & hoc ſimpliciter: quod autem non eſt, nullo modo mouetur. Impoſsibile enim eſt non ens moueri: quomodo igitur fit quicquam ex materia quæ quicquam non eſt?

EX NONO DE EA-
dem tractatione.

Si autem eſt impoßibile eſſe & intelligere tempus ſine hoc nunc, nunc autem medietas quædam eſt, quæ principium & finem habet: Sed principium quidem futuri temporis, finem autem præteriti, neceſſe eſt ſemper eſſe tempus. Vltimum enim ultimi temporis aſſumptum nunc eſt; nec enim quicquam capitur in tempore præter nunc. Quare poſtquam eſt principium & finis, neceſſe eſt in utranque partẽ eſſe tempus. Sed ſi tempus neceſſe eſt & motum. Si quidem tempus eſt paſſio motus.

In his conſtituit Ariſtoteles cœlum eſſe æternum. Si enim medietas quædam eſt, & principium & finis, & vtrinquę ſemper habet tẽpus, hoc poſito ſequitur tempus

eſſe æternum. Et ſi tempus eſt æternum, neceſſariò & motus cuius tempus eſt numerus. Et ſi motus eſt æternus, neceſſariò corpus motum, eſt æternum. Hoc autem abſurdè poſuit quod ſic redarguitur. Quum enim generabitur futurum fieri tempus, ſic factum eſt & præteritum. Sed futurum fieri tempus habet principium vt futurum fieri. Et ſicut nihil eſt præteriti in futuro, ſic nec quicquam futuri in præſenti. Sed ſi hoc nunc eſt ens & adeſt, futurum autẽ nondum eſt neque ens neque præſens: non eſt igitur hoc præſens nunc principium futuri temporis, ſed quod nunc eſt futurum, illud eſt principium futuri, quod nequaquã medietas eſt habens in vtranque partem tempus, ſed in alteram nec eſt principium & finis. Hoc

quidem eſt nūc, ſed alterius atque alterius temporis, vt principium quidem futuri, finis autem præteriti. Sed aliud quidem nunc eſt principium & aliud finis eiuſdem temporis. Aliàs autem ſi impoſsibile eſt nunc eſſe nunc, niſi fuerit prius futurum & non ens, impoſsibile eſt nunc coæternum eſſe. Si enim totum eſt quod prius non erat, poſterius autem hoc eſt generabile, tale autem eſt & nūc, generabile ſanè erit hoc nunc. Si autem & nunc neceſſariò & omne tempus, cuius principium & finis hoc nunc. Et ſi tempus neceſſariò & motus cuius tempus eſt numerus. Et ſi motus neceſſariò & motum corpus eſt generabile.

EX EODEM LIBRO.

Omnino autem putare hoc principium

eſſe ſufficiens, eo quod ſemper ſic ſit aut fit, non eſt rectè putare, in quod Democritus reducit cauſas de natura, eo quod ſic & prius factum eſt. Ipſius autem ſemper non dignatur quærere principium, dicens in quibuſdam rectè. Quod autem in omnibus non rectè. Etenim triangulus habet ſemper duobus rectis, angulos æquales. Sed ſimul eſt quædam huius æternitatis ſiue ſemperitatis, alia cauſa propria æterna: ipſorum autem principiorũ quæ æterna ſunt, non eſt cauſa.

Si igitur vt fit nunc, ſic & prius factum eſt, non eſt rectè putare eſſe principium eorum quæ ſemper fiunt ſecundum naturam, neceſſariò igitur rectè eſt, iudicare quod principium eſt eorum quæ ſecundum naturam fiũt, illud quod non eſt ſic factum, vt nunc fit, ſed aliter. Ideo æquum eſt & illius quod

ſemper fit, quærere principium. aliter fit animal ex animali, & aliter factum eſt animal ex non animali. Et animal quidem ex non animali, nec ſecūdum naturam factum eſt, nec ſemper fit: animal autem ex animali ſemper, & ſecundum naturam fit, poſtquam accepit principium vt fieret ex animali quod erat ex non animali. Et hoc in omnibus illis quæ ſecundum naturam fiunt, non in quibuſdam tantum. Impoſſibile eſt enim ea quæ ſunt ex generatis principiis eandē habere generationem quam habuere principia. In generabilibus ęternitas ſine principio eſſe non poteſt. Etenim triangulus ſemper habet duobus rectis, ęquales tres angulos habens principium generabile, rectam lineam cuius ratio eſt linea ſummē extenſa. Ipſa enim eſt cauſa vt

triangulus habeat, duobus rectis æquales tres angulos. Et hac quidem non exiſtente, non contingeret eſſe triangulum. Triangulo autem non exiſtente, contingit eſſe lineam rectā. principia eorum quæ ſecundum naturam fiunt, perpetua eſſe non poſſunt: ſi enim quam habent naturam, hanc dant illis quæ ex ipſis prodeunt, generabilis autem ea eſt, generabilis eſt & principiorum natura, ſi modus generationis eſt permutatus, & eſt differens ab ea quæ eſt principiorum.

EX EODEM.

Neceſſe eſt aliquod unum eſſe æternum & primum mouens: demonſtratum eſt autem quòd neceſſe eſt ſemper motum eſſe. si autem ſemper neceſſe eſt eſſe continuum. Et enim quod ſemper

eſt, continuum eſt: quod autem ſucceſſiuè eſt, continuum non eſt. Continuus autem unus eſt, unus ab uno mouente, & ab uno moto. Si enim aliud & aliud moueret, non eſſet continuus motus, ſed ſucceßiuus.

Si primum mouens eum motum qui eſt ſecundum lationem, & ſi ſecundum lationem eſt motus cœli, cœlum autem eſt naturale corpus: naturale autem corpus habet in ſeipſo naturaliter principium motus, ſecundum naturam. Superfluè igitur mouetur cœlum, primo mouente motum ſecũdum lationem quo, & ſi primum mouens non moueret ipſum, moueretur ipſe à ſeipſo, eo quòd ſit quintum elemẽtum, neque grauitatem habens quæ deorſum moueat: neque læuitatem quæ ſurſum, ſed

aliam potẽtiam innominatam quæ moueat ipſum circa medium. Si primum mouens motum eum qui eſt ſecũdum lationem cœlum (mo uet) nec ſecundum naturam illud mouet. Superfluum enim eſt ſic moueri nec præter naturam. Secundus enim eſt motus qui eſt præter naturam eius qui eſt ſecundum naturam. Non igitur quicquam mouet cœlum. Si omnis mo tus vt fit nunc ſic& ſemper prius fuit: fit autem nunc ſecundum mu tationem illius quod futurum eſt fieri: futurum autem fieri, antequam fieret, non erat: quod autem prius non eſt, poſterius eſt totum generabile. Si autem generabile, impoſsibile eſt vt æternum & carens principio ſit: non eſt igitur motus æternus & imprincipiatus.

EX EODEM LIBRO.

M*aniſeſtum eſt, quòd latio primum eſt: primum enim ut in aliis, ſic & in motu poteſt dici multipliciter.* D*icitur autem primo quo non exiſtente non erunt alia, illud autem eſt ſine aliis: & hoc eſt tempore, & hoc eſt ſecundum ſubſtantiam.* Q*uoniam neceſſarium eſt lationem eſſe primam.* N*ec enim eſt una neceßitas ut augeatur & alteretur quod mouetur, nec ut generetur aut corrumpatur.* H*orum enim nullum contingere, non exiſtente continua quam mouet primum mouens.* A*mplius,* T*empore primus: æternis enim ſolum contingit iſto moueri.* S*ed in uno quidem eorum quæ habent generationem, lationem extremam eſſe neceſſe eſt motuum:*C*um ipſo enim generari & corrumpi primum augmentum & alteratio:* L*atio autem iam perfectorum mo-*

tus eſt. Sed aliud neceſſe eſt motum eſſe ſecundum lationem prius, quod quidem generationis cauſa eſt iis quæ fiũt, non faciẽs ut genitum geniti, quoniam uideretur eſſe generatio prima motuũ, propterea quia fieri oportet rem prius. Quod autem eſt ab uno quocunque eorum quæ fiunt, ſic habet. Sed aliud quicquam neceſſe eſt prius moueri eorum quæ fiunt quod ſit per ſe: & hoc iſto aliquod prius.

Si quod augetur hoc eſt generabile, auget autem latio quantitate motus, non eſt æterna latio. Quod enim fertur corpus, habet loca varia in quibus diſtendens diſpoſitionem menſurarum ſuarum, latum facit augmentum motus, ſecundum lationem. Et ſi latio in ſeipſa habet quantitate motus augmentum, quomodo dicitur latio motus ſecundum augmentum eſ-

ſe prima? Si impoſsibile eſt non principiatum & finitum recipere additione augmentum: non eſt igitur latio deſtituta principio quantitate motus: ſemper maior igitur eſt facta. Si autem latio in fieri & deſinere habet ſuum eſſe: non eſt igitur æterna latio, in qua ſemper præcedit nō eſſe, eſſe. Omnis enim motus ſecundum mutationem fit, nondum exiſtentis, ſed futuri. Si omnis latio præterito finita eſt, finitum autem neceſſariò eſt incœptum, & incœptum omne generabile eſt, generabilis igitur latio. Et ſi latio, lato corpore non eſt prior: eſt generabile etiam quod fertur. Si in æternis hoc quidem ſolùm mouet, hoc autē ſolùm mouetur ſemper ſecundū, motu ſecundum lationē, quomodo non eſt ex impoſsibilibus eum qui eſt ſine prin-

cipio incœpto moueri motu? Si hoc ſine quo aliorum nihil eſt, hoc ſubſtantia & tẽpore aliis eſt prius, quomodo non eſt ingenitum? poſitum enim eſt primum mouẽs, omnium primum eſſe & ingenitum. Amplius autem cœlum & ea quæ ſunt in cœlo apparentia eſſe ingenita, quomodo non eſt abſurdum dicere ingenitum quid eſſe in æternis ante quoddam æternum? Si primum mouens continuatum motum, mouet autem quæ nec eſt ſecundum naturam, nec eam quę eſt præter naturam, illum quidem vt ſuperfluum, vt dictum eſt: hunc autem vt qui eſt ſecundus illi qui eſt ſecundum naturam motui, nil igitur mouet continuum motum, ſi æterna moueantur, nec eſt motus prior rebus motis, nec ſunt res motæ priores motu. Eſt autem o-

mnis motus ſecundum mutationem nondum exiſtentis ſed futuri, erunt igitur ea quæ mouentur omnia ex mutatione nondum exiſtentis, ſed quæ eſſe futuri habent. Si in vno eorum quæ fiunt latio eſt vltima motuum, ſed neceſſe eſt alterum motum ſecundum lationẽ eſſe prius, quod eſt & generationis cauſa ingenerabilis exiſtens. Quomodo contingit illud idem cauſam eſſe motus ſecundum naturam, & generationis quæ eſt ſuper naturam? primus enim generator non eſt natus. Et ſanè primò motum ſic mouebatur in generatione primò facti, vt prius motum eſt in generatione eius qui ex ipſo eſt, aut igitur non eſt cauſa vniuerſæ generationis quod ſic motum eſt ingenerabiliter: aut non mouet primum mouens cõtinuum motum,

quum videatur differentia generationis in rebus factis, ſecundum quam quædam ſunt ſuper naturam, alia ſunt ſecundum naturam: ſi eſt ingenitum prius & poſterius, erit igitur ingenitum non ingenitum. quod quidem eſt abſurdum, aliquando non eſſe ingenitum.

EX EODEM LIBRO.

Si autem continuo inſunt infinita dimidia, non eſt actu ſed potentia.

Si actu nihil eſt infinitum, clarum eſt quod nec motus, nec tempus. Quum motus & tempus in præterito ſint finita de neceſsitate ſunt principiata. Quum habeant principium neceſſariò ſunt genita. Si autem motus & tempus ſunt generabilia, neceſſariò etiam eſt & motum corpus, quod ſemper habet

bet ſuum eſſe in motu ſeu moueri. Si autem cõtingit aſſumptum tempus ita vt aſſumantur huius dimidia ex futuro, & adponantur prҿterito, ne ſic quidem contingit vnquam vt in præterito ſit infinitum.

ARISTOTELIS EX PRIMO libro de mundo.

Neceſſe eſt eſſe aliquod corpus ſimplex, quod natum ſit motu circulari ex propria natura.

Quæ eſt igitur primi mouentis neceſsitas vt moueat hoc corpus, quod ſua propria natura motu circulari mouetur?

EX EODEM LIBRO.

Clarum eſt quod nata ſit quædã ſubſtantia corporis alia ab illis quæ hîc

conſtitutæ ſunt diuinior & prior his omnibus.

Si hoc corpus & æterniter & ſine principio circa terram, quæ hîc ſubſtantia eſt, mouetur: quomodo poteſt terrâ ipſâ eſſe prius, qua remota nunquam poſſet moueri circulariter? Et ſi æternum eſt & ingenerabile & vtile ad conſtitutionem eorum quæ hîc fiunt, vt adeſt huic corpori, ſic adeſt & terræ: quare illud corpus eſt precioſius aut prius terrâ?

EX EODEM LIBRO.

Corpus aut circulariter latum impoßibile eſt habere grauitatem aut leuitatem.

Si quod non habet pondus aut leuitatem, non eſt poſsibile vt ſub tactum cadat, eſt enim in iis quæ

habent pondus & leuitatem tangibile, quomodo habet eſſe quod ſine ipſis eſſe non poteſt, illa autem non habet? Quomodo proprio motu calefactiuam quandam virtutem aeris perficit, ſicut ea corpora quæ hîc habent grauitatem & leuitatem ſuis motibus excitant calefactorios actus?

EX EODEM LIBRO.

Contrarietates autē lationis ſunt ſecundum locorum contrarietates. Si enim æquales eſſent, nunquam eſſet motus eorum. Si autem alter motus uinceret, alius nunquam eſſet. Quare ſi ambo eſſent, fruſtra eſſet alterum corpus non motum ſuo motu: fruſtra enim eſſet calceus cuius nunquam eſſet calceatio. Deus autem & natura nil fruſtra faciunt.

Si erant in latione corporũ motus cõtrarij, aut ęquales ſecundùm antiperiſtaſin prohibentes mutuos motus, aut inæquales, & propter prædominationẽ alterius alterum immobile fieret per violẽtiam prędominãtis ipſum dominatũ quod non abſolueret ſecundum naturam motum ſuum, fruſtra facta fuiſſent quæ ſic eſſent impedita à propriis & naturalibus motibus, & dei non eſſent opera nec naturę videlicet(Hîc humana paſſus eſt ſanctus Martyr. Quia non eſt huiuſmodi factum fruſtra quod non mouetur ſuo naturali motu. Eſt enim neceſſariũ vt ſit iſta antiperiſtaſis priuans aut alteram tantùm aut vtranque partem ſuo motu. Nam baſis ſtabilitatis terræ & aquæ in hoc eſt firma, & immobilis in æternum manet, quòd ex ęquo per an-

tiperiſtaſim omnia grauia in ęqualitate motus & in ęqualitate diſtantiæ à cœlo ſibi mutuò obuiant & æquilibrium faciunt. In toto autem ſpacio quod eſt inter cœlum & centrum, ſemper alterum ab altero impediri oportet, & in continua eſſe lite in qua aſsiduè alterum vincat. Quum autem quatuor leuium genera à quatuor elementis in cœli materiam defecatiſsimam deuecta venerūt ad extremam ſuę mobilitatis & fugę naturalis a centro potentiam, tunc infinitam vacui à corporibus capacitatem reperiunt vbi ſunt innumerabiles intelligentiæ & vitæ fœlices in nictu oculi vniuerſum à centro in extremum cognoſcentes & ſibi conformantes, cui cœlum ab omni repugnantia liberum ſatagit motu circulari aſsimilari. Melius itaque

ſenſit hîc Ariſtoteles.) Si eorum quæ fruſtra fiunt deus author non eſt, nec natura: ergo eorum quæ fruſtra non fiunt, ſed inimpedibiliter ſuos motus perficiunt, deus eſt author & natura. Quomodo igitur non eſt ex abſurdiſsimis, ingenerabilia dicere & ſine principio ea quorũ, deus & natura eſt author? Et ſi calceamenta opera artificis ea vocamus quæ habent calceationem, vt quid & corpora ea quæ ſecundum naturam proprios motus faciunt, non dicemus excogitationem dei & naturæ?

EX EODEM.

Appoſitè itaquæ dicitur, alterum quidem eſſe ſermonem rationémue ſine materia, & alterum qui eſt cum forma: & ſit hoc uerum. Sed tamen nulla

eſt neceſsitas propter hoc plures eſſe mundos, nec contingit plures fieri, quo niam ſic eſt ex tota materia ſicut eſt.

Si materialiter & ſine materia eſt ſermonis differentia ad ſermonẽ, manifeſtũ eſt poſterius ſermonis immaterialis ſermo eſt materialis. Quomodo igitur eſt ingenitus mundus ex poſteriori ſermone compoſitionem habens? ſi eſt ſine idea & ſine ſubſtantia, & ne ſit hoc aliquid eſt priuata antequam accipiat formam, & antequã fiat ſubſtantia aut hoc aliquid, quomodo eſt mundus ex tali materia factus? ſi ille qui habuit rationem vnius mundi, ille etiam plurium mundorum habuiſſet rationes, & non eo quod placeret, mundi fabricam feciſſet, ſecundum propriam voluntatem, ſed copia materię potuit facere mundum vnum, & defectu

ipſius nõ potuit facere plures mun dos, quomodo non videtur fruſtra habuiſſe ſermonem rationémue vt conderet plures mũdos quorum facultatem non habuit ob materiæ defectum? Si ex ingenito aut ingenerabili impoſsibile eſt fieri ingenerabile, quomodo ſi eſt ingenerabilis materia, ingenitus autem eſt mundus, potuit hic fieri ex ea? Si non vt fecit Deus ea quæ ſunt ex materia, ſic etiam materiam fecit: non igitur ea omnia quę vult deus facit, ſed quæ poteſt. Si autem æqualem in omnibus habet potentiam voluntati, fabricator eſt materiæ deus ſicut & illorum quę ex materia fiũt. Si materia eſt ſubiecta deo ad fabricam eorum quæ ex ipſa fiunt, quum ſit informis & nulla ſubſtantia conſtans, ſimiliter qualitatis & quantitatis expers, à

dei potentia mutata in hæc omnia & facta eſt ſubſtantia qualificata & quantificata. Quomodo non eſt aucta ab ipſa dei potentia quæ tot in ipſa operata eſt in ea mutationes in tantùm, vt etiam plures mundos faceret ex ipſa, ſed in generationem vnius mundi alterata inuitum deum cœrcuit ne faceret plures mundos?

EX EODEM LIBRO.

Cœlum quidem eſt ex indiuiduis & ex iis quæ ſunt ex materia, ſed ſi non ex particula ipſius compactum eſt, ſed ex tota eſt quidem eſſe ipſi cœlo, ſed huic cœlo (ſiue cœlo & cœlitati) eſt aliud, nec ſanè eſſet alius nec contingeret plures fieri, quia totam materiam comprehendit.

Si cœlum eſt ex indiuiduis, &

ex iis quæ ex materia & ratione componuntur, vt cœlo quidem ipſi ſit eſſe immateriale: ratione autem ſit aliud, quomodo non eſt generabilis habens principium propriæ ſubſtantiæ compoſitionem materiæ & rationis ex quibus eſt? Si materia per ſe neque grauitatem habet, neque leuitatem (ſunt enim iſta corporum ex ea factorum paſsiones) ſi ex tota iſta materia factum eſt cœlum qui non habet grauitatem nec leuitatem, vnde facta ſunt alia omnia, poſtquam tota materia conſumpta eſt in cœli facturam? Si antequam ſic ſpecificaretur materia, ſpecie cœli non habebat leuitatem nec grauitatem vt nunc non habet poſt ſpecificationem ſuam? Quomodo non mouebatur ante ſuam ſpecificationem, vt nunc mouetur poſt

ſpecificationem? Si moueri ſubſtantiæ eſt, & non habere grauitatem & leuitatem eſt materiæ & non ſubſtãtiæ, mouetur autem cœlum motu circulari, eo quòd non habet grauitatem aut leuitatem, manifeſtum eſt quòd propter materiam ſic moueri habet cœlum, & non propter ſpeciem vel formam. Quomodo igitur eſt immobilis materia ſecũdum motum circularem quæ non habet leuitatem nec grauitatem?

EX SECVNDO LIBRO DE cœlo.

Vnumquodque eſt cauſa operis quorum eſt opus: dei autem actus eſt immortalitas: hoc uerò eſt uita æterna. Quare eſt neceſſe deo habere motum æternum. Poſtquam autem cœlum eſt

tale, eſt enim diuinum corpus, propterea habet circulare corpus quod natura mouetur ſemper.

Si ingeniti quidem & æterni nil eſſe poteſt cauſa. quorum autem eſt opus hæc oportet cauſa operis eſſe, non ſunt igitur æterna quorum opera cauſa eſſendi ſunt. Si inanimatorum eſt præſentia ſolùm agere ſuos naturales motus, rationabilium autem eſt voluntate, quomodo deus eſt cœlum qui non voluntate immortalitatem operatur, ſed motu & tráſpoſitione ſuarum partium? Si quod eſt ingenitum neque ad eſſe, neque ad agere vllo eget aut vllis quæ ſint extra cooperationẽ, quomodo cœlũ & vt ſit mobile eget terra circa quam voluatur, & ad agendum eget ſole & luna & cęteris ſtellis, erit ingenitus? Si ingeniti nulla eſt

ratio in agente, quomodo ſi eſt cœlum ingenitum, habet rationē immaterialem in factore, & rationem materialem in materia, ob quam rationem aliud eſt cœlo eſſe & aliud hoc cœlum? Si non poteſt cœlum facere voluntatē quę facit motu, quomodo eſt hic deus æternus æternam exequens vitam inuoluntariè? Si in æternis non agit cœlum æternam vitam, habent enim illam ex propria natura: generabilia autem & corruptibilia ſimiliter non viuunt, vbi eſt vita æterna quam infundit cœlum? Si non ſolùm ad generationem eorum quæ fiunt, ſed eorum quæ corrumpuntur eſt vtilis motus cœli: quomodo deus eſt cœlum & eius actio vita ęterna per quam corrumpuntur corruptibilia? Si ex materia coęternum materiæ non poteſt eſſe, quomo-

do eſt ingenitum cœlum quod ex materia eſt? Si quod eſt ex duobus, eſt ipſis duob⁹ poſterius, quomodo cœlum quod ex materia, & forma eſt, coęternus erit vtriſque? Si ſpecies formáue non eſt ex materia ſed ex agente, quomodo cœlum aliunde habens materiam & aliunde habens formam, ingenitum eſt? ſi materiale corpus eſt cœlum & ſfæricam habet figuram & eſt ingenitum, quomodo non habet vtraq; ex materia, & eſſe quod eſt, & habere quod habet? ſi materia eſt, & illis quæ ſecundum idem ex ea generātur primo ſubiectum & inexiſtens, quomodo ingenitum exiſtens, cœlum vt & generabilia materiam habet ſubiectam & inexiſtentem?

EX EADEM ORATIONE.

Quoniam cœlum corpus eſt quod-

dam diuinum, propterea habet circulare corpus quod naturâ mouetur ſemper, cur igitur totum cœli corpus non eſt tale, Quoniam aliquid opus eſt remanere de corpore quod circulariter fertur, quod eſt ad medium: huius autem nullam partem remanere eſt poſſibile neque in uniuerſum neque ad medium. Etenim ſi motus ſecundum naturam illius eſſet ad medium, naturâ tamen circulo fertur: non itaque eſſet æternus motus. Nihil enim præter naturam, æternum. Poſteriora autem ſunt ea quæ ſunt præter naturam illis quæ ſunt ſecundum naturam. Neceſſe eſt itaque terram eſſe: Hoc enim quietat ad medium. Sed ſi terram, neceſſe eſt & ignem. Contrariorum enim alterum eſſe naturam, ſiquidem fuerit & hoc eſſe quendam ipſius naturam. Ipſa enim Materia contrariis & priuatione prior eſt, dico autem uti ca-

lidum frigidi. Sed ſi eſt ignis & terra, neceſſe eſt ut & intermedia ipſis adeſſe corpora. Contrarietatem enim unumquodque habet ad unumquodque elementorum. His autem exiſtentibus, neceſſe eſt generationem eſſe, eo quòd nullum eorum poteſt eſſe æternum. faciunt enim & patiuntur contraria à ſeipſis, & corruptiua ſunt mutuo. Amplius autem non eſt æquum eſſe aliquid mobile æternum, cuius non contingat ſecundum naturam eſſe motum æternum. ex his autem motus eſt. Quod itaque ſit neceſſarium eſſe generationem, ex iis eſt manifeſtum. Si autem generationem, neceſſe eſt eſſe, aliam corruptionem aut unam aut plures. Secundum enim uniuerſi (conſiſtentiam) eodem modo eſt neceſſarium habere elementa corporum ad inuicem. Nunc autem tantum eſt manifeſtum quam ob cauſam plura ſunt circularia corpora,

quo-

quoniam opus eſt generationem eſſe,ſi quidem & ignem,& alia hoc, ſiquidem & terram. Hanc *autem quoniam neceſſe eſt aliquid ſemper , ſiquidem & moueri aliquid ſemper.*

Si eo quod non habeat grauitatem aut leuitatem eſt ſemper mobile corpus cœli circa medium, neceſſe eſt igitur totum corpus cœli moueri circa medium . Si autem tale corpus habet cœlum , talem autem motum non habet, clarum eſt quòd preter naturam moueatur. Si circa medium mouetur cœli corpus non totum verò ſecundum lationem elementi in quo eſſe dicitur corpus,ſed ſſæricè ſecundùm permutationẽ partium,quomodo non continet motus ſſæricus elementi motum? Et ſanè corporibus his quæ ſunt ex elementis motus ſecundum formam ne-

quaquam ineſt, ſed ſecundum elementa ex quibus ſunt, quomodo igitur ex cœli corpore neceſsitas motus eſt permutata. Corpori, nec grauitatem nec leuitatem habenti, neceſſe eſt habere conſtitutionem immobilem magis quàm motum non conſiſtentem. Si enim nec per grauitatem eſt infraferum, nec per leuitatem ſupraferum, neceſſe eſt eſſe illud immobile. Si formaretur lapis ſfærę forma, & poneretur in aere dum ferretur deorſum in ſuā propriam regionem, nunquam ferretur infra reuolutione actus ob figurā, ſed recta ferretur ſecundū ſuam ipſius grauitatem. Quomodo quintum elementum, ex quo eſt cœlum, quod natum eſt circa medium moueri, eo quod non habeat grauitatem aut leuitatem, ſecundum ſuam naturam to-

tum cum ſuis partibus non fertur circa medium ſed ſfæricè ſecundum permutationem partium motu mouetur, qui non eſt de elemēti natura ſed de figura ſfærica? Si nec præter naturam, neq; ſuperfluum nec fruſtra eſt quicquam in æternis, quomodo non eſt cœlum motum præter naturam: & quomodo nō habet fruſtra naturam elementi ſecundum quàm non mouetur: & quomodo non ſuperfluè à primo mouente non moto, mouetur motu quo ſine ipſo poſſet moueri? ſi in medio, ſemper non quieſceret quieſcens, nunquam quod mouetur ſemper circa medium moueretur, quomodo igitur falſum non eſt quod ſemper cœlum moueatur ſuiipſius natura? Niſi haberet quam naturam & poſitionem habet terra, ſimiliter niſi quam ha-

bet cœlum poſitionem & naturam haberet, nunquam quod mouetur moueretur, nec quod quieſcit quieſceret. Quomodo igitur ſunt hæc æterna & ingenita quorum hoc aliquid eſſe & hoc modo eſſe alterius eſt propter alterum, quod eſt proprium generabilium. ſi in æternis nec eſt quicquam ſecundum prouidentiam, nec eſt ſpontaneum: ea enim quæ ſunt ſecundum præuidentiam, ſunt ipſi præuidentiæ ſecunda. & quod eſt ſpontaneum, aut præter naturam, aut accidens eſt in iis quę fiunt per præelectionem. Sed quod eſt, prę-ter naturam, ſecundum eſt rei quæ eſt ſecũdum naturã. Secundum enim euerſionem illius rei quæ eſt ſecundum naturam, fit quod eſt præter naturam: & quod contingit in iis quę fiunt per electionem,

ſecundum eſt ipſi electioni. Quomodo ineſt æternis eſſe hoc, propterea quod ſit aliud hoc aliquid aut tale? Vt poſtquam cœlum eſt, neceſſe eſt eſſe terram. Si autem cœlum & terra eſt, prouidentiæ eſt opus, quæ hanc vniuerſitatem ex differentibus ſecũdum ſubſtantiam & vſum partibus condidit. Aut igitur, non ſunt æterna tam cœlum quàm terra, & ea omnia quæ in eis ſunt, quæ videlicet ad eſſe ageréque & pati ſibi mutuò conducunt, aut ſi æterna ſunt, non eſt neceſſe vt hoc ſit hoc aut tale, quia hoc eſt hoc aut tale. Vnã æternam ſupponens Ariſtoteles neceſsitatem, multas alias æternas neceſsitates ex ſuppoſita aptauit introduxítue. Neceſſe eſt, inquit, eſſe motum æternum. Si motus eſt æternus neceſſe eſt eſſe tempus æter-

num. Numerus enim motus eſt tempus. Si æternus motus, neceſſe eſt illi vt ſit cõtinuus. Si autẽ continu⁹ eſt motus, neceſſe eſt eſſe corpus ſimplex præter corpora quæ hîc ſunt, quod nec grauitatem, nec leuitatem habeat. Grauia enim & leuia corpora quando ſecundum rectam lineam ferũtur mouentúrue, continuè moueri non poſſunt. Si autem continuè mouentur neceſſe eſt vt ſfæricam habeant formam. Huic enim ſoli formæ contingit continuum fieri motũ. quòd ſi ſfæricè mouetur, neceſſe eſt terram in medio ſemper quieſcẽtem exiſtere, vt circa ipſam terram fiat ſfæræ motus. Si autẽ terra, neceſſe eſt eſſe & ea corpora quæ medio in interuallo ſunt inter terram & ignem. Si hæc, neceſſe eſt eſſe generationem. Poſtquam autem iſta

eſſe æterna non poſſunt,nec generatio ipſa neceſſariò habet eſſe. Similiter & alia corpora circularia. Sed hoc ſi hoc eſt tale quia illud eſt,tale non habet locum in genitis & æternis: non igitur ſunt æterna & ingenita quæ dicta ſunt. Si enim eſſent æterna iſta, nunquam eſſet hoc propter,ſeu per illud aut illud per hoc. Poſtquam autem eſt terra,neceſſe eſt ignem eſſe, & quæ inter ipſa ſunt corpora. Quomodo ſi terra ingenita eſt & æterna,ignis qui ſurſum fertur & leuis eſt,non eſt æternus? Si enim,vt ait, quorum cõtrariorum eſt alterum natura, & etiam eſſe alterum natura neceſſe eſt: quomodo non eſt abſurdum,terram eſſe ęternam & ingenitam,ignem autem non eſſe æternum? aut ignem non eſſe æ-

ternum & terram eſſe æternã quæ ſunt ob inuicem? Si propter generationem neceſſe eſt eſſe alia circularia corpora, quomodo generatio non eſt cauſa æternũ. Aeterna enim ſunt circularia corpora, & generatio ſecundum illorũ motum. Si autem abſurdum eſt hoc, non ſunt ingenita cœleſtia corpora. Quorum enim eſt eſſe vt alia fiant, ea generabilia ſunt & non æterna. Si contingit in æternis in eſſe quod in futurum eſt; generabilibus hoc eſt neceſſarium eſſe tale quia, hoc eſt tale, nil igitur differunt ingeni-
, ta à genitis. In æternis enim, ait, nil
, differt quod contingit ab eſſentia.

EX EODEM LIBRO.

Quoniam autem bifariam eſt in circulo moueri, & non ſunt contrarij hi

motus, ſed ſi nihil caſu aut ſponte contingit in æternis eſſe, cœlum autem æternum eſt, & circularis latio, ob quámnam cauſam fertur in alteram partem & non in alteram? Neceſſe *enim eſt hoc principium eſſe, aut eſſe ipſius principium.* Natura *enim facit ſem per eorum quæ cõtingunt præſtantiſsimum.* Eſt *autem quemadmodum lationum quæ recta fiunt linea, ea quæ ſurſum fertur magis honoranda (diuinior enim locus eſt ſurſum quàm deorſum) eodem modo quæ in anteriorem fertur ea quæ retro, ſiquidem habet, dextrum & ſiniſtrum.* Hoc *uerò teſtificatur dicta dubitatio, quoniam eſt prius & poſterius.* Ipſa *enim cauſa ſoluit dubium.* Si *enim habet ut contingit preſtantisſima, ipſa fuerit cauſa eius quod dictum eſt.* Eſt *enim præſtantiſsimum moueri motu ſimplici & indefeſſo, eoque in partem magis uenerandam.*

Si natura fecit cœlum moueri in ànterius & non in poſterius,quę facit ſemper quod eſt pręſtantiſsimum,quomodo æternum eſt cœlum & huius motus qui à natura eſt factus,& qui habet pręſtantiſsimo moueri motu? Si eam differentiam quam habet ſuperior locus ad inferiorem eam habet motus antè ad motum retrò ſecundum id quod eſt honorabilius,diuinius & præſtantius, quomodo non ſunt contrarij hi motus tantum differentes abinuicem? Si corporum ſimpliciũ motus ſimplex eſt,non ſecundum contingens, ſed ſecundum neceſſarium, quomodo poteſt bifariam moueri cœlum, ſimplex corpus habens, & mouetur contingenter? Si vndique cœlum eſt ſibi æquale & æquales habens partes partibus,& vt moueatur ſſæ

ricum & circularem ſeruat motum, poteſt igitur & ab auſtro in boream ferri, & à borea in auſtrũ: vt poteſt moueri ab ortu in occaſum & ab occaſu in ortum. Quomodo igitur non fruſtra natura corpori cœli impoſuit tantorum motuum potentias: ſi quadrifariam quidem habet potentias, vnicè autem mouetur?

EX EODEM LIBRO.

De iis autem quæ uocantur ſtellæ, conſequens eſſet ut diceretur ex quibus compoſitæ ſunt, & quinam ſint earum motus. Eſt autem rationi imprimis conſonum, quod eſt ad prædicta conſectaneum, unam uidelicet quãque ſtellam componere ex eo corpore in quo habet ſuam lationem, quoniam diximus aliquid eſſe quod circulariter ferri natum

eſt. Quemadmodum enim qui igneas dicunt eſſe, propterea dicunt, quia ignem ſurſum corpus eſſe dicunt, ut ſit rationabile unumquodque componi ex his in quibus eſt, ſimiliter & nos dicimus. Calor autem ab ipſis & lux fit de trito aere ab earum latione. Solet enim motus ignire & ſaxa & ligna & ferrum. Rationabilius igitur erat (igniri) quod eſt igni propius. Eſt autem aer propior, ut in telis quæ feruntur. Hæc enim ita igniuntur ut liquefiant plumbatà, & poſtquam ipſa igniuntur, neceſſe eſt & circundantem ipſa aerem hoc ipſum pati. Hæc igitur ipſa calefiunt propterea quod in aere ferantur, qui ob percuſsionem motu fit ignis. Superiorum autem unumquodque in ſua ſfæra fertur, ut illa quidem non igniat. Aere autem ſub ſfæra circularis corporis exiſtente, neceſſe eſt illã latã calefacere, & hanc maximè in qua ſol eſt

alligatus.Ideo accedente ipſo & orien te & ſuper nos exiſtente efficitur calor.Quòd igitur non ſint ignea, nec in igne ferantur, hæc ſint à nobis dicta de illis.

Si ex eadem materia ex qua eſt cœlum ex eadẽ ſunt & aſtra,quomodo hoc non eſt falſum, quod ex tota materia eſt cœlum? Et hoc, Omnem materiam circum aſſump ſit? Si quod mouetur,& motu cale factiuum eſt alterius, niſi prius ipſum ſuo ſe motu calefecerit, calefa ctorium alterius eſſe non poteſt, quomodo ſfæra & quæ in ea ſunt aſtra calefaciunt ſuo motu aerem quæ ipſa per ſe calida non ſunt? Si quod ſuo motu calefactorias actio nes excitat, neceſse eſt hoc grauita tem habere aut leuitatem,quomodo cœlum & que in eo ſunt ſtellę neque grauitatem habentia neque

leuitatem excitant actiones calefa ctorias? Si quæ habēt eandem motoriam ſubſtātiam, illis neceſſe eſt eodem motu ſecundum idem ferri, & non ſecūdum accidens: quomodo non eſt ſol motus per accidēs ſi ſſæra indiget? Et de aliis ſtel lis eſt eadem ratio. Si per ſeipſa nō mouentur ſuis motibus ſecūdum naturam, ſed per ſſęras quibus ſunt impactæ? Si ex eadem materia eſt ſol ex qua eſt cœlum, quæ non ha bet grauitatem nec leuitatem: & quæ ſſęricum habet corpus ſicuti habet & cœlum, vt quid non mouentur ex æquo ambo(.i. deferens ſſęra cum ſuo planeta) aut per trāſpoſitionem partium vti mouetur ſol? Si nihil eſt præter naturam in æternis, quomodo non eſt præter naturam, motum quem quis habet per naturam, illo non per ſeip-

ſum moueri ſed per alium? Mouetur enim & ſol & aſtra non per ſe, ſed per ſfæras quibus ſunt impacta? ſi ex eadem materia eſt ſol ex qua eſt cœlum, vt quæ nec grauitatem habet nec leuitatem, & habet figuram ſfæricam ſicut habet cœlum, cur non mouentur ambo, aut per tranſmutationem partium ſicut ſol mouetur? ſi nihil eſt præter naturam in æternis, quomodo non eſt præter naturam, motum quem quis habet ſecundum naturam hoc ipſo non per ſe moueri, ſed per ſfæras quibus ſunt impacti? ſi quemadmodum generabilia ſecũdum rationem eſt quod genuit, ſic & ingenita ſecũdum rationem eſt quod eſt, poſteriora ſunt ratione ea quæ generantur. ſi autem hoc eſt impoſsibile, non igitur ſunt ſecũdum rationem in-

generabilia. Quum autem nõ ſint ſecundum rationem, quomodo vnumquodque ipſorum precario eſt quod eſt, & habet quod habet, & agit quod agit? Quæ vſuariè ſiue precario ſunt rationis, & prouidentiæ ſunt opera, ſi ſequitur ipſa genita eſſe ex materię ratione, non ergo ſunt ex ratione & materia ea quæ ſunt ingenita. Quomodo igitur ſunt ingenita tum cœlum, quum ea quæ in ipſo ſunt omnia, & eſt ex ratione & materia? ſi vt dixit Ariſtoteles in æternis nil fruſtra eſt neque pręter naturam, quo modo ab iis quæ de motu ſolis dixit, contingunt ſoli vtraque & fruſtra, & præter naturam? ſi enim ſecundum naturam moueretur eodem motu quo nunc mouetur & non egeret ipſum mouente ſfæra, quomodo non eſt fruſtra alligatus

tus ſfæræ? ſi autem illo non moue-
retur ſecundum naturam, ſed alio
præter iſtum ſiue quantitate, ſiue
qualitate; quomodo non præter
mouetur nunc?

EX EADEM ORATIONE.

Sfæras quidem circulóſue moueri, aſtra autem quieſcere & alligata circulis ferri.

Si autem ſecundum naturam quieſcunt in circulis aſtra, fruſtra alligantur circulis. Si autem pręter naturam quieſcunt, clarũ eſt quòd vi quieſcunt. Sed in æternis nihil eſt, nec fruſtra nec præter naturã. Non igitur inuenit Ariſtoteles rationem quæ eſt de ſtellarum motu, æterna enim dicit aſtra, & in iis quæ dixit de ipſorum motu vtraque videntur, & fruſtra, & pręter

naturam. Si æterna ſunt aſtra, æternum eſt & cœlum in quo ſunt aſtra colligata & deus vnumquodque ipſorum nominat, quomodo non ſunt dij à diis tracti? Quæ enim ſunt rei motæ alligata, tractiliter mouentur. Si alia eſt compoſitio eſſentiæ, ex materia enim & forma eſt, & alia eſt compoſitio partium quæ eſſentiam habent: quomodo ea dicit æterna quę ambas habent compoſitiones? cœlum enim habens ſolem & aſtra alligatas partes, compoſitũ eſt ex illis. In ſeipſo enim hæc habens conſiſtit cœlum.

EX EODEM LIBRO.

Adhæc, abſurdum eſt naturam nullum organum illis dare ad motum. Nihil enim temerè facit natura, nec eſt ut de animantibus habeat curam, hæc au

tem tam precioſa contemnat: ſed uidetur ut eſt conſonum, auferre omnia illis quibus poßint ipſa per ſe promouere.

Si æternorum & ingenitorum nullus eſt artifex, neque cuiuſquã cura ſunt quæ ſunt aut habent ſecundum naturam, quomodo ſi ingenitum eſt cœlum & quæ in cœlo vidētur, ſunt coingenita ipſi, naturam habet factricem & curatricem eorum quæ ad conſtitutionem ipſorum faciunt? ſi quadrabat facienti ſermonem de æternorum motu dicere, naturam nil temerè facere, quomodo non eſt manifeſtum quòd ſunt opera naturæ tã cœlum quàm quę in cœlo ſunt, naturæ inquam auferentis illis organa motus?

EX EADEM ORATIONE.

Quoniam igitur oportet cœlum qui

dem moueri ſuo proprio motu, alia autem aſtra non progredi per ſe, meritò utrunque fuerit ſſæricum. Sic enim maximè unum mouebitur, alterũ quieſcet.

Si quod quieſcit illud dicitur quod poteſt moueri motu illo à quo quieſcit, quomodo quieſcent aſtra quæ proprium non habent motum ſecundum quem moueri debeant? Si autem potentiam quidem habent vt moueantur, prohiberi autem quod egeant ſſæra, quomodo non habent præter naturam ſemper moueri? ſi ſemper motis tanquam apta data ſſærica figura, quomodo ex illis quæ habẽt figuram ſſæricã, aliud quidem ſemper mouetur vt cœlum, aliud autem ſemper quieſcit?

EX EODEM LIBRO.

Quare poſtquam nõ uidetur hoc ſem-

per cõtingens, neq; animato neque uio lento ferretur motu ullum ipſorum, ueluti quod futurum eſt eſſe præuidente natura, quoniam non hoc modo habente motu, nihil eſſet circa locum qui hîc eſt ſimiliter habens.

Quomodo igitur æterna & ingenita quæ per naturæ habẽt prouidentiam vt ſint talia & receperunt vt ita mouerentur? Ea enim quæ ſunt ſecundum prouidentiam ſecunda ſunt prouidentiæ. At æterna nulli ſunt ſecunda. Si quod futurum erat eſſe, ante eſſe non erat, quomodo contingit de cœlo & ſtellis earúmque motu vtráque eſſe vera, vt ſint futura & æterna & ingenita? futurum enim nondum eſt, & ęternum ingenitum quę ſemper eſt. Si hac de cauſa quod ſimiliter habeant vt habent circa locum iſtum, prædicto modo natu-

ra præuidit cœli motum, quomodo ſunt æterna & ingenita iſta quæ cauſa generabilium ſunt, vt ſunt & mouentur vt mouentur?

EX TERTIO LIBRO de cœlo.

Quoniam igitur demonſtratum eſt quòd non ſunt nata moueri per ſe, natura autem nil ſine ratione neque fruſtra facit, clarum eſt quòd talis figura dedit immobilibus quod minimè eſt mobile. Minimè autem mobilis eſt ſſæra eo quòd non habet inſtrumentũ ad motum. Ideo ſſærica ipſa mole fuerint.

Si natura dedit ſemper mobilibus ſſæricam figuram aptã ad motus facilitatem, quomodo non acceperunt aſtra fruſtra hanc figuram alligata ſſæris & ſecundum naturam ſuam non potentia abſol-

uere motum ? Si non ſunt apta aſtra vt per ſe moueantur, non igitur habent ſecundum naturam æternum motum. Quomodo igitur ſunt ex eodem elemento ex quo & cœlum quod nec grauitatem habet nec leuitatem? cœlum enim ex eo quod ſit ex tali elemento & eo quòd habet rotundam figuram, natum eſt ſemper per ſeipſum moueri circa medium: Aſtra autem quæ ex eodem ſunt elemento & eandem habent figuram, quomodo non ſunt nata per ſeipſa moueri? Fruſtra igitur dedit illis natura ſubſtantiam & figuram ad perpetuum motum aptam, ſi ſtatum habent immobilem. Quod aſtra ſubſtantiam habeant & figuram ſemper mobilem, conſiſtentiam autem immobilem, quomodo non habet ſignum irrationalis & ſtulti opifi-

cij, quod fecit præter naturam aſtra quieſcere? ſi ingenerabilium & æternorum ſubſtantiæ omni opificio & eo quod eſt ſecundum rationem, & eo quod eſt præter rationem, ſunt ſuperiores, quomodo ſi ingenitum eſt cœlũ & aſtra ſecundum prouidẽtiam naturæ quæ nihil temerè nec fruſtra facit, *ſunt* quod ſunt & habent quod habent. Si non oportebat moueri aſtra, vt quid per alia mouentur? Si autem oportebat moueri, vt quid per ſe non mouentur, ſed per alia, quum poſsit natura facere vt per ſe mouerentur eo motu quo nunc mouentur per alia, maximè quæ in materia motui aptiſsima conſtituit ea per ſe immobilia? Si in æternis nil eſt præter naturam, eſt autem præter naturam habere ſubſtãtiam & figuram ſemper mo

bilem, ſtatũ verò immobilem, igitur non ſunt æterna ea in quibus eſt aliquid prętet naturam, aut falſum eſt, quod in æternis nihil eſt præter naturam. Si nihil ingenitorum per cuiuſquam prouidentiam habet aut non habet, quod habet aut quod non habet, quomodo ſi eſt ingenitum cœlum & ſtellæ, ſecundum prouidentiam naturæ inſtrumentum quidem motus non habent, figuram autem ſfæricam habent pro organo, quæ quidem eſt ad continuũ motũ aptior quibuſuis progreſsiuis inſtrumentis?

EX SECVNDO LIBRO de cœlo.

Prima quidem una ſubſtantia multa mouet corporum diuinorum, multæ autem ſubſtantiæ unum ſolum. Vnuſquiſque enim planetarum unus quicunque ſit, multis mouetur lationibus. Iſthac i-

gitur natura æquabilia facit, & facit quendam ordinem, uni quidem plura dans corpora, uni autem corpori multas lationes. In multis enim ſſæris una ſſæra alligata fertur. Vnaquæque autẽ ſſera corpus eſt.

Si ingenitorum & æternorum factor eſt nullus, quomodo ſunt iſta ęterna & ingenita quorum natura eſt artifex, vni quidem dans multa corpora, vni autem corpori multas lationes, multitudines lationum corporis adæquans multitudine corporum? Si ſunt ingenita hæc & infecta, quomodo contingit in ingenitis eſſe compoſitum naturalem ordinem? ſſæra ſſæræ alligata, eandem habens ſubſtantiam cum ea quæ illam ligat, quomodo non videtur vtraſque habere abſurditates quę in æternis non ſunt, fruſtra habere mobilem ſub ſtan-

tiam ſecundum quam non mouetur, & moueri per accidens pręter naturam?

EX TERTIO LIBRO de cœlo.

Eorum quæ natura dicuntur, aliæ quidem ſunt ſubſtantiæ, alia ſunt opera, & paſsiones illarum. Dico autem ſubſtantias ſimplicia corpora, ut ignis & terra atque ea quæ ſunt ipſis coelementa: & quæcunque ex iis ſunt, uniuerſum uidelicet cœlum & partes ipſius, & rurſus animalia, plantæ & partes illorum

Qui dixerat cœlum eſſe ex ſimplici quodam elemento diuerſo ab illis quæ hîc ſunt elemẽtis: & quod non contingebat cœlum alium fieri eo quod contineret vniuerſam materiam, quomodo nunc dicit ex iiſdem eſſe elementis cœlum ex

quo animalia & plantæ? Sed ſi dicit alium cœlum ex aliis elementis fieri, quomodo nõ mẽtitur dicẽs, Non contingit alium eſſe cœlum, niſi vnius. Si autem dicit eundem cœlum aliquando quidem ex alio diuiniori elemento pręter illa quæ hîc ſunt, aliquando autẽ ex iisdem elementis, quomodo non mentitur in altero?

EX EODEM LIBRO.

De *primo igitur elementorum dictum ſit, & quale ſit natura, & quod ſit ingenitum & incorruptibile.*

Si elementum eſt illud ex quo fit quod factum eſt in eo exiſtens, quomodo contingit illud idem eſſe elementum & ingenitum? Si primò eſt elementum, & ſecundò quod eſt ex elemento, quomodo eſt ingenitum elementum ex quo

cœlum, & vnà eſt coingenitum cœlum? Si ideo eſt ingenitum elementum quoniam eſt ex non elemento, quomodo eſt igitur ingenitum cœlum quod eſt ex elemento?

EX EODEM LIBRO.

Aeterna igitur eſſe impoſſibile eſt. Videmus enim ignem & aquam & unumquodque ſimplicium corporũ diſſolui. Quare neceſſariò ſunt generabilia & corruptibilia elemẽta corporũ.

Si elementum corporum eſt & terra, quomodo igitur terram dixiſti coæternam & coingenitã eſſe cum cœlo, alia autem elementa generabilia & corruptibilia?

EX EODEM LIBRO.

Elementorum generatio eſt ex inuicem.

Quomodo fiunt elemẽta ab in-

uicem quum prius non ſint genita generatione quæ ex inuicem eſt? Hanc enim generationem neceſſe eſt præceſsiſſe iſtam. Sunt enim iam quum mutantur inuicem & generantur ab inuicem. Natura faciens naturalia niſi præcedenter facta fuerit ab eo qui non facit ſecundum naturam, nec eſt, nec agit, quoniam nòn ſimpliciter omnis res generabilis & corruptibilis in ſua generatione habet quadripartitum tempus, principium, progreſſum, conſiſtentiam, & deceſſum, ſed quod à natura aut arte fit.

In noſtris nominibus vocatur deus, Pan ſiue vniuerſum. Si quid vocatur non eſt neceſſe vt concomitetur ſequatúrue deum propter nomen, quotquot dicantur noſtro nomine. Vocatur autem deus Veritas, & Bonus: ſed veritati op-

ponitur falſum, & bono malum: Deo autem, nihil opponitur. Hoc non intelligens Plato tradidit in ſuis placitis ſubcontrarium quid eſſe deo malum, neceſſarium & æternum. Non eſt aliquod ens, neque hoc aliquid ens, vt, non eſt corpus, nec corpus hoc ens, ſed ſi materia eſſe hoc non habet, nec igitur eſſe habet. Inſeparabile eſt enim Eſſe ab Hoc eſſe. Natura & ars ex ſubſtantiis faciunt quæ faciunt: vt ex ſemine facit natura hominem, & ex homine ſemen. Subſtantiæ autem ſunt tam ſperma quàm homo. ſimiliter & artes faciunt ex ære ſtatuã, & ex lateribus domum: ſubſtantiæ autem ſunt tam æs quàm lateres. Quis eſt igitur qui ex materia non exiſtente, ex ipſa fecit quæ ſunt facta ex ipſa, quum ars & natura nil poſsint

ex non ſubſtantia facere? Si vt dicit Ariſtoteles, eſt corpus neque graue, neque leue, neque vnum ex quatuor elementis, nec eſt ex quatuor elementis: videlicet ſi hoc verum eſt, erit corpus neque calidum neque frigidū, neque ſecundum naturam, neque ſecundum paſsionem. Quod enim eſt ſecundum naturam aut ſecundum paſſionem, calidum aut frigidum, aut quatuor elementorum eſt, aut ex quatuor elementis eſt. Si autem corpus non eſt, nec ſecundum naturam calidum aut frigidum, neque ſecundum paſsionem, neque ſanè eſt corpus nec graue nec leue, nec exiſtens ex quatuor elementis nec quatuor elementorum. Quomodo igitur dicit calidum eſſe æthera propter motū cœleſtis corporis & eorum corporum quæ in

ipſo mouentur? corpora enim quę ſuis motibus calefiunt, calefiũt ante ea quæ ſunt ab illis calefacta. (nam nemo dat quod non habet) Sed ſi calefit, clarum eſt quia ſecundum paſsionem calefit. Si autem per paſsionem, clarũ eſt quòd per alterationem. Si autem per alterationem, & conſtat per mutationem: Si autem per mutationem, clarum eſt quòd à contrario mutatur. Contrarium enim eſt frigido calidum: ex frigido itaque in calidum mutatur. Sed quum non ſit corpus quod ex frigido in calidum ſecundum paſsionem mutetur, quod non ſit neque quatuor elementorum, neque ex quatuor elementis, propterea, non eſt cœleſte corpus aliud elementum præter quatuor elementa: calefit enim ſecundum paſsionem ex frigido in

calidum mutatum. Si ea corpora quæ ex motu calefiunt maiori motu magis calefiunt, quomodo ſi ſecundum Ariſtotelem ſol eſt corpus, non ſecundum naturam calidum, ſed ſecundum motum, multitudine motus non calefit nec calefacit, ſed ſemper inęqualitate motus æqualitatem habet caloris? Si ſecundum Ariſtotelem definitio ſubſtantiæ eſt quod eſt contrariorum ſeorſim receptorium: quomodo rurſus dicit Ariſtoteles materiam non eſſe ſubſtãtiam, quum contraria per partes ſeorſimue recipiat, videlicet priuationis & habitus? Si priuatus vt ſit hoc, ſic & eſſentia priuatur, quomodo dicit Ariſtoteles impoſſibile eſſe ex nõ ente fieri quicquam, ipſa materia ſecundum vtrunque priuata vt ſit & vt hoc aliquid? Si ex omnino

non ente non fit qüicquam, manifeſtum eſt quod ex ente fit aliquid. Sed ſi materia tale eſt, quomodo vera dicit Ariſtoteles dicens non ens materiam? Si non alteratur materia, non eſt poſsibile quicquam fieri ex ipſa. Sed ſi totum alteratur, ex hoc in hoc alteratur: non eſt autem materia hoc aliquid, non igitur alteratur: Igitur non fit quicquam ex ipſa. Ex fortuito in fortuitum non fit mutatio, ſed in contrarium in eodem genere: vt in qualitate nõ fit mutatio ex albo in magnum, ſed in nigrum. ſecũdum quid igitur mutatur materia in generatione earum ſubſtantiarum quæ ex ea fiunt, quum nil habeat quod poſsit mutari? Si quemadmodum in vitalibus viuens aut animal, aut in coloratis color, ſic eſt in materialibus mate-

ria, quomodo deſtructis vitalibus, deſtruitur viuens, & deſtructis coloratis, deſtruitur color, & deſtructis materialibus nõ deſtruitur materia? Si ab eſſe & coexiſtere entibus eſt, videlicet quod omnino nõ eſt, nec abeſt ab aliquo neque ineſt: quomodo igitur participat materia priuatione, & de entibus non eſt? Si impoſsibile eſt idem in eodem ambobus moueri motibus: & eo qui eſt ſecũdum naturam, & eo qui eſt præter eam, quomodo ſol ab ortu mouetur in occaſũ, pręter naturam autem ab occaſu in ortum propter ſferam? nec enim eſt poſsibile idem in eodem naturaliter contrario moueri motu. Sole non exiſtente ſuperfluus eſt oculus: & oculo non exiſtente ſuperfluus erat ſol. Sed poſtquam per alterũ neceſſarius eſt alter, eſt vter-

que genitus. Ingenitum enim propter nullum genitũ eſt. Si eſt poſſibile tempore exiſtente quod factum eſt fieri per cauſam, non autem per tempus, quomodo dicunt Hellenes mundum genitum fuiſſe per cauſam & non ſecundum tempus? Si impoſsibile eſt mundum eſſe ſine anno, quum annus non ſit ęternus, ſed ex periodo multorum dierum eſſe habeat? Si genitus eſt annus quomodo ſunt ęterna & ingenita ea quæ ſunt in anno?

SATISFACTIO APOLOGIÁUE G. POSTELLI PRO SUO IN ARISTOTELIS ERRATA CONATU.

SATISFACTIO APOLOgiáue G. *Poſtelli pro ſuo in Ariſtotelis errata conatu.*

LICET ipſe ſanctus Martyr, cuius iam totis mille & quadringentis circiter annis ſcri-

pta Græca extant, poſsit abundè ſibi ſatis eſſe & in euertenda Ariſtotelis authoritate, vbi aut diuinæ authoritati aut rationi contraria eſt, longè maiorem iam authoritatem demeruerit, quàm quę poſsit aut eleuari aut videri vlla parte Ariſtotelica ipſa inferior. tamen quia primus hoc *operis* ſuſcepi, non tantùm vt Latinis eius in Ariſtotelem ſcripta traderem, ſed vt in ſummum Reipub. Chriſtianæ compendium publicè illa prælegendo exponere ſatagerem, ideo meo nomine huic conatui apologiam tam in ſatisfactionem, quàm in inſtituti rationem apponere viſum eſt. Nec enim dubito, quin hoc ſęculo, in quo ferè omnia aut in calumniam aut in deteriorem quandam partem contorqueri cernimus, ſtatim oborituros qui mę

impetant, quódque eam infelicem tragœdiam, quæ his proximis annis excitata inter doctos viros ipſius Ariſtotelis cauſa eſt, nunc denuo me velle ſuſcitare conclamēt, quibus ipſis ſtatim in ipſo conatuum exordio, ita huius inſtituti rationē exponere decreui, vt quid meritò poſsint, ſi qui fuerint, calumniari præter ſuam aut peruicaciam aut impietatē habeant nihil. Quum enim ſit de ipſis rebus diuinis arduis admodum neceſſarium viro bono reddere rationem, eius videlicet quæ in ipſo eſt & fidei & ſpei aut veræ religionis ſatisfactionem poſcenti exhibendo : multo æquius eſt in hoc inſtituto, in quo de humanioribus diſciplinis agere videbimur, ſumma alioqui & prima vbiuis veritate nixi, occurrere, & antequā impetamur etiam ſum-

mis aduerſariis facere ſatis. Mihi vni & ex voto peculiari & ex diuino æternæ rationis præſcripto propoſitum eſt, ita veritati ſuperiori & ęternę teſtimonium perhibere, vt in eam operam ſummo & vitæ & famæ diſcrimine me deuotum oſtendam teſtificatúmque id toti terrarum orbi relinquam. Iam ſatis fœliciter in ea monſtra tela direximus, quibus in hoc terrarum orbe diſcordia maximè excitata eſt. Et quæcunque ad orbis totius Concordiam in iure diuino duce natura comparãdam faciũt, ſunt à nobis tã in opere de Orbis Terræ Concordia quã in eius appendicibus multifariis pertractata, vnde ſumma diſpellatur falſitas. Quum autem ſit neceſſarium totius orbis terræ tyrannides & iniuſta imperia, per Monarchiam ſummę & v-

biuis gentium concordantis veritatis aſſertricem & vindicem deſtrui atque aboleri, vt fiat diuina voluntas, ſicut in cœlo & terra vnà ſub vno Monarcha deo, ſic & in terra ſub vno Monarcha homine, etiam ea quæ faciunt ad ipſius Monarchiæ reſtitutionem multis tradidimus, ita vt quibus non ſatisfecerint ea quæ emiſimus, illi ſint omnino inter irrationalia animantia reponendi, & abuſu ipſo rationis priuandi. Vnà autem etiam ſummæ illi impietati, qua pietatem oppugnant, qui ſunt in ſummo Authoritatis diuinæ gradu conſtituti, fuit mihi velum auferendum, eo quod omnium tyrannidum mundi ſunt cauſa, illi qui ſupra ſacroſancta fideliũ concilia eleuati, etiá ſupra omne quod dicitur deus aut colitur pro ſum-

ma dei authoritate eleuantur, & ſunt in moribus & in hac impia aſ ſertione ſummi animorum tyranni, ita vt nulli poſsit eſſe dubium, quin de eo qui caput eſt huius im pietatis dici poſsit & debeat quod ἀντίχριστος ἐστί habens numerum Beſtiæ Apocalypſeos 666. In me enim eſt repoſitus intellectus tam agens quàm poſsibilis vt huius Beſtiæ numerum primus orbi terrarum cum veritate & ſine falſitate nume rarem. Sed quia vna eſt & iſta ſum mæ & Babylonicæ Beſtiæ ſuperbia: & cum ſuperbia eſt ſummus Pſeudoprofetiæ, omnia falſarum doctrinarum genera in ſe habētis, conatus, huic laruæ Babylonicæ coniunctus, & maximè falſa veritatis ſpecie faſcinans oculos, ita vt etiam perfectos trahat in exitium: mihi iam pridem dari cupiebam

diuinã quandam occaſionem qua in maximum animorum tyrãnum inſurgere, ſine publica offenſione, poſſem. Sunt enim duo ſummi tyranni animorum in hac vita, vnus ſub Authoritate diuina, qua perditi homines abutuntur, poſitus in meretricis Babylonicæ Beſtiæ, ſeipſam poſt detractas ſecũ innumeras cœli ſtellas abuſu ipſius Authoritatis deſtruentis. Alter in ea quæ videtur & non eſt, ratione purè humana & à diuina veráque quã tum poteſt abhorrente, conſtitutus: cuius caput maximè inſigne eſt Ariſtoteles, à noſtro Iuſtino ideo impetitus, quod authoritate ſemel illi à ſatana comparata innumera falſa, repugnantia, contraria, & vero ſimilia tantum, pro veriſſimis & demonſtratis mundo cæcutienti obtruſit, vnde in illius ver

ba, veluti in ſacroſanċta & æterna veritate ſubnixa oracula, iuratum in hanc vſq; diem eſt. Noſtrum itaque opus fuerit hîc vnà cum Iuſtino, in ea quæ Ariſtoteles pro veris tradidit, ita animaduertere: vt planè cognoſcatur ſummum toti orbi terrarum diſpẽdium, niſi obſtitiſſet prouidentia, fuiſſe *ex eius* doctrina naſciturum. Vnde enim factum eſt vt dubitetur de diuina & particulari, quum in omnia & ſingula cætera, tum maximè in hominem prouidentia, ſimiliter de Animorum immortalitate, niſi ex falſitate aut ambiguitate propoſitionum Ariſtotelis? Adhæc eo impietatis profecti ſunt multi vt quod publicè ipſi non auderent, ob legum ſeueritatem, ſub ipſius nomine auſi ſint profiteri: vt proximis iſtis annis perditiſsimus qui-

dam nebulo Pomponatius, cum ſummo Italiæ ꝓbro auſus ſit,ſcriptis etiam ſummis pontificibus oblatis & tantum non ſuaſis,conari, vt ex Ariſtotele demonſtraret, mortales eſſe animos. Et ita illa belua inualuit in ea impietate, vt etiam in gloria ponant quidam pariſiis eius doctrinæ interpretes, ſe Perreti aut Pomponatij eſſe diſcipulos. Huic etiam in cardinalium cœtu fuit aſſecla & cõmilito Caietanus vſque in Hereſeos Arrhianę notam inde prolapſus:quos vtroſque acutiſsimè refutauit Barptolemeus à ſpina ordinis prædicatorij vir inſignis. Sed aliquis meritò in quęſtionem vocarit:ſi prouidentia curam habet rerum humanarum,quare permiſit ita in animos ſerpere Ariſtotelem, vt tot pericula inde immineant? ſicuti ad

virtutis exercitia,difficultatem:ſatanam,ad ſalutis opus:tortorem,in iuſtitiæ miniſterium:ſcandala, ad bonorum probationem : falſitatem,ad veritatis inquiſitionem:hęreſes,ad fidei æternæue religionis examinationem & veluti auream probationẽ:in ſumma,vt ſummos perditiſsimóſque tyrannos & *falſas* religiones ad martyrum probationem: ſic & λοξίαν obliquariúmue iſtum hominem permiſit tandiu in mundo eſſe,donec diſcuſſa, in vtranque partem, quauis veritate de qua potiſsimum Ariſtoteles tantus in ratione vir, contrarias, ambiguáſue ſententias ſcripſiſſet, tandem ad veritatis æternæ & vndíque concuſſæ probatæq́ue rationes roſolutorias æternáſque deueniretur. Sic etiam voluit eſſe innumera loca, tam in iure Cæſareo &

humano, quàm in diuino per ſpeciem pugnantia, quæ duce ratione etiam conciliarentur. Hinc voluit vt mordicus ſit defenſum in Iuſtiniani legibus nullam eſſe Antinomiam: ſic à peripateticis in Ariſtotele, nullam eſſe contrarietatem, quum tamen hoc in ſolo dei verbo ſit poſsibile & verificabile. Si quidem omnis homo, homo eſt, id eſt mendax, & qui humani à ſe nil alienum putare debet. In hanc vſque reſtitutionis omnium tempeſtatem, deus permiſit Ariſtotelem durare, vt nunc ſacroſancti Martyris operâ concideret fundituſque periret. Reſtitutio enim omnium nobis diuinitus commiſſa, hoc ambiguitatis mõſtrum & ſummum armamentorum ſatanæ miniſtrum, illis qui eo nituntur incognitum (nam de illius vitiis hîc

nolim quicquam dici) primo in loco aggrediatur inter humanas rationes oportet. Fatētur autem plurimi, qui alioqui volunt videri magis æqui rerum humanarū eſtimatores, & Ariſtoteli etiam ſummis præfationibus fauentes, in eo authore eiuſque etiam præſtantiſſimis rationibus ineſſe *multum veneni*, hoc eſt falſi, quum dicunt nullo modo debere ſacra rationibus humanis & potiſſimum Ariſtotelicis corroborari, in qua aſſeueratione, etiam latet ſumma impietas. Vt enim toto errant cœlo, qui Ariſtotelem mordicus tutari volunt, & illum non fuiſſe paſſum humana aſſerunt: & ſic ipſum hominem deo & ſacris præferunt: ita econtrario, qui rationi rectæ & æternæ repugnare humanam & omnibus gentibus,

tibus,populis, hominibus, temporibúſque cognitam veritatem affirmant,illi,aut duo ponunt principia:vnum, bonũ & authoritatis ſacræ fundatorem, & alterũ malum rationis humanæ principẽ,aut·contrà:aut, quod crediderim & veriſſimum eſt, nullum ſacrorum præſcriptum eſſe vellent. Quia quod rationi repugnat, Deo repugnet neceſſe eſt. Deus autem ab æterno inſtituit,hac in re ſua voluntate omnino indefraudabilis,vt recta ratio pro lege æterna haberetur. Quum itàque ſit vnus tãtùm Deus, & authoritatis legitimæ & ratiõis rectæ author, eſt omnino neceſſarium, vt omne verũ vero conſonet,hoc eſt verum authoritatis legitimæ, & verum rationis rectæ.

Deus itaq; voluit vt ſupereſſet eo-
vſque Ariſtoteles, donec duce ipſa
ſchola Pariſienſi aut doctrina ſcho
laſtica, tota (quatenus eccleſiæ fuit
in hanc diem cognitu neceſſaria &
intelligibilis) ſacrorum authoritas
innumeris rationibus in vtrãque
partē diſcuſſa, ſpoliaret Ariſtotelē
illis veritatibus, quę in ipſo liquidę
erant, eò quod veritas à quocunq;
dicatur à ſpiritu ſancto eſt, & ſem-
per diuina: vt tandem poſt reſolu-
tiones ipſas ſacrorũ, ipſe Ariſtote-
les omnino neglectus iaceret, &
pręſtantiori diuinæque tractationi
daret locum. Sic enim ex omnibus
mũdi venenis theriacam fieri opor
tet, vti ex ſcandalis ſummã eccleſię
membrorum probationē & perfe
ctionem. Lucrum enim reſtitutio-

nis omnium , quod infinitum eſſe oportet,eſſe nunquã poſſet, niſi ex hac tyrãnide animorũ,in ſummum æternæ veritatis & rationis rectæ ſeu legis æternę dominiũ,ab æterno, vt illo ipſo à nobis ipſis regeremur inſtitutũ,deueniretur. Vt itaq; ab hoc ſummo aut dubitatiõis,aut falſitatis ,aut contradictionum, & ambiguitatis barathro liberetur Reſpub. Gallica, & demum totus orbis,ſuſcepi huius operis & priuatam ex ſuis Grȩcis in Latinam linguã interpretationẽ, & publicam explicationem , vt à noſtris auditoribus tanta, ex orbe Latino tollatur tyrannis , vtq; in eius locum reſolutiſsima & ſiue ab Ariſtotele ſiue à Platone , aut ab alio quouis tradita,aut nunquam ante cognita

veritas, quæque ſit æternæ rationi conſentanea, recipiatur: quicquid autem illã in dubium quouis modo vocat, repudietur. Ea de re ſatagemus ſine vlla cõtradictione, ea quæ ſunt in æternę rationis theſauris, orbi terrarum, in omnium reſtitutionem cognoſcẽda probandáque conſcribere, & huic confuſioni ſubſtituere. A cauſis verò ad effecta, & ab effectis ad cauſas ſemper tractationem conducã. Nec enim ſatis eſt falſum aut confuſum deſtruxiſſe, ſed opus eſt verum & diſtinctũ reponere, quod omnino decreuimus. Relicta itaque illa innumerabili rerum earundem repetitione aut inuolutione & contrarietate, quæ eſt apud Ariſtotelem, De principiis primo loco agemus,

ſecundo in loco quæ ſit primæ ma
terię ſubſtãtia tam in cœleſtis cor-
poris quàm in elementaris (quod
nomine terræ nuncupant) conſtitu
tione. Demum de elemẽtorum ip-
ſorum diſtinctione, & quanam ra-
tione ſint in eos ordines & nume-
ros diſpoſita, & ſuis proprietatib⁹
donata. De luminis natura poſtea
in ſummæ falſitatis, quæ de illa in
hanc diem aſſeritur natura, confu-
tationẽ tractabitur. Poſtremo de
ipſa corporum conſtitutione tam
in auibus, piſcibus, & terreſtribus
animantibus, quàm in homine qui
omniũ finis & princeps eſt, agam
pro filoſofiæ naturalis fine. Ita au-
tem eſt omnino factu neceſſarium,
etiam ſi nondum eſſem in hunc fi-
nem reſtitutus, vt Deus opt. max.

ſibi omnino ſimilis & immutabilis videatur. Sicut enim dedit ſuæ eccleſiæ à puro ſpiritus ſancti influxu dependenti, vt quicquid ipſa ligaret in terra ſiue ſuper terram, etiam approbãdo ſcripturas & ſententias articulóſve quæ ipſammet ligarẽt, illa ipſa eadem eſſent *in* cœlo confirmata à Deo, ſic eſt omnino neceſſarium, vt ille ipſe idẽ Deus de totius humanæ rationis iudicio hocipſum à principio conſtituiſſet, vt eſſent in cœlo confirmata, quæ homo vniuerſi dux & imperator prius in terra ligaſſet. Inde prima nominum proprietas eſt ita ab Adamo antequã peccaret impoſita, vt in cœlo ligando ſit dictũ: Quodcunq; nomẽ vocauit Adam ipſis rebus Hoc (in cœlo) EST no

men eius. Quum enim ſint omnia ad hoc creata, vt in intellectu humano veriſsime repræſentata & repoſita, tanquam in excellentiori q̃ in ſeipſis eſſentia Deo ipſi in æternã gloriam ſeruentur, nullũ eſt dubium quin hæc prima Dei voluntas, & propter quam creauit mundum, debeat tam diligẽter tractari, vt ligetur in cœlo quicquid fuerit de ea ligatum in terra. Eſt enim magis neceſſarium hominibus rationis vinculum, quàm authoritatis, eò quod ab æterno Deus decreuerat, vt homo, recta ratione duce, quæ ſummam in cõſcientiæ lumine ſemper geſtat authoritatẽ, mundum regeret. Poſtquam autẽ per peccatum conſcientia perdidit rectæ rationis vſum, opus fuit in hãc

vſque diem per ipſam diuinam authoritatem mundum regi, donec ea ratio, quam ego veni in mũdum reſtituere & cum ea omnia, ſit repoſita vſqueadeo in ſuum locum, vt ſit ligatum & in cœlo quicquid ea duce ligauerim in terra. Ea de re eſt mihi repurganda & retractanda tota philoſophia.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALFREDO FARNESI
ROMA
Piè di Marmo 19-20
Legatore di Libri